29.

DISSERTATIO
de
JURIS
tàm publici quàm privati
PRINCIPIIS & PRÆCIPUIS
quam

ADSPIRANTE

Numine ſummè Bono

PATROCINANTE

Magnifico & Nobilisſimo JCtorum Ordine

PRÆSIDENTE

Viro Amplisſimo, Conſultisſimo & Excellentisſimo

DN. JOHANNE PHILIPPI J. U. D.
Curiæ Provincialis ſupremæ, & Eccleſiaſtici Conſiſtorii Elect. Sax. Advocato Ordinario; nec non Collegii B. Mariæ Virginis Collegiato,

Dn. Fautore, Præceptore ac Hoſpite ſuo æternum colendo.

Publicè in Petrino Lipſenſium Acroaterio amicæ omnium cenſuræ ſubmiſſurus eſt

GEORGIUS Bachmann Gryphswaldenſ. Pomeran.

Ad diem 17 Maji.

Ut in eodem prato bos herbam, canis leporem, ciconia lacertam, virgo florem invenit; ita boni bona, mali mala, ex unâ eademq; disputatione hauriunt.

LIPSIÆ
Typis Hœnianis. Anno 1649.

D. T. O. M. A.

Disputatio

De Publici, Privatiq; Juris principiis atq; præcipuis.

Th. I.

ETſi præfationes breves in JCtis commendentur *l. 1. d. O. J*, qvia tamen magis faciunt ad pompam, qvàm ad eſſentiam *Rol. à Vall. p. 1. conſ. 59. in pr.* & Dd. non debent, qvando legunt, tempus, (qvo nihil pretioſius, etſi vulgo nihil habeatur vilius,) in proœmiis & verbis fruſtratoriis expendere *arg. l. 39. §. 1. C. d. appell.* idcirco nolo verboſos commentarios facere cum Gajo *in l. 1. d. O. J*, ſed ipſa juris principia ſine ſplendidis aliis principiis aggrediar, & qvæ à Dd. hac de re certatim ſcripta ſunt, breviter delibabo. Satiùs enim eſſe puto, ex variis prudentiæ authoribus optima qvæq; congerere, qvàm propriæ viribus induſtriæ excogitata periculosè proferre; tametſi & in hac re tenuitatem meam libenter agnoſcam, ut vel alius aliqvis magis peritus huic incudi præfici debeat Vulcanus, qvi præſenti materiæ ſatisfacere posſit.

II. Ut autem ordine procedamus; eſt enim Ordo entium magiſter, ſine qvo progredi eſt eqvum per caudam frænare; rectè huic præcepto aures accommodabimus, & omnium prior & prima noſtra cura erit Nominis juris indagatio: nam ſicut Natura ab elementis; Ita Ars à vocabulis incipere debet; qvod imprimis noſtri etiam JCti fecerunt, modò vocabula à verâ origine derivantes, modò veroſimili alluſione vim ſingularem inde eruentes, qvorum veſtigiis malo inſiſtere, qvàm cum aliis, qvi ſe Reales gloriantur, nihilqve niſi Realia & Realitates crepant, omnem vocum curam abjicere. Circa nomen autem conſiderabimus. 1. Originem ſeu etymologiam, unde nomen juris deſcendat, qvod & Ulpianum feciſſe conſtat *ex l. 1. d. J. & J.* 2. Æqvivocationis larvam explicabimus, ne intellectus ambiguo vocis ſono ſeductus, aliud pro alio, falſum pro vero incautè arripiat. Deniq; 3. Æqvipollentem appellationem ſubjungemus.

III. Juris vocabulum derivant Grammatici à juſſu ſeu jubendo: At JCti derivant jus à juſtitia, qvatenus jus ſumitur pro arte juris: & hoc ſenſu juſtitia prior eſt jure, eò qvòd omnis ars poſterior eſt eo, qvod arte docetur, ut Grammatica literis. Plures juris derivationes vid. apud Beſold. *in comment. ad l. 1. lib. 1. ff.*

IV. Juris varias ſignificationes, qvarum 36. Bolognet. *in tr. de lege jur. & aeqvit. c. 15. n. 19.* recenſet, non curamus, & tria tantùm potiora jura ex his notabimus (1.) qvâ jus ſumitur pro liqvore cibi cocti; in qvo ſenſu verum eſt, qvod Papa ſcribit, ſe omnia jura in ſcrinio pectoris ſui habere, modò benè pranſus fuerit *c. 1. d. conſtit. in 6.* (2.) pro normâ ſeu regulâ actuum moralium. (3.) pro arte ſeu doctrinâ juris. Appellatur autem Ars juris, qvâ præceptis, iisq; finitis includi *l. 2. d. J. & F. J.* & ſic in artis formam redigi poteſt; Cùm enim omne ſcibile artis & ordinis capax ſit, qvî ergo minus ſola Jurisprudentia? qvippe qvæ habet præcepta ſua univerſalia, genus, formam & finem proprium, in qvibus logicè etiam progreditur, & qvidem ordine ſeu methodo Analyticâ. Nec movet, qvòd noſtrum juris ſyſtema non ita perfectè ſit conſcriptum, ut nihil qveat in eo deſiderari, qvod pleraq; etiam congruentius, qvàm ubi ſita ſunt, poni potuiſſent. Nam Rꝫ talem nimiam & moroſam ἀκρίβειαν in jure non attendi, non qvidem qvòd Jurisprudentiæ dediti, Logicæ magiſtros ſpernant, ſeq; illis refingendos haud tradant, ſed qvia materiæ longè nobiliſſimæ interdum adeò incurvari, illorumq; præceptis examuſſim adaptari reluctentur. *arg. l. 2. d. S H.*

V. Jurisprudentiæ vocabulũ etſi huic negotio maximè ſit accommodum, paſſim tamen aliis qvoq; nominibus inſignitur. Nam optimâ metaphorâ audit Templum juſtitiæ Romanæ *l. 2. §. 20. d. J. V. E.* cujus nos ſumus ſacerdotes, æqvum ab iniqvo ſeparantes, juſtum ab injuſto ſecernentes *l. 1. §. 1. d. J. & J.* Unde falſum illud vulgare, à Plutone, non homine excogitatum dicterium, Juriſten/ böſe Chriſten: Juriſten/ Jurgiſten: JCtus, ruris tumultus &c. Cluit & alio nomine Philoſophia vera, non ſimulata *l. 1. §. 1. d. J. & J.* à cujus Profeſſoribus exigitur mercenariam operam ſpernere *l. 8. §. 4. d. vacat. mun. & l. 1. §. 5. d. extraord. cogn.* Sed ô, qvàm rari ſunt, qvi ita philoſophantur *l. 6. §. 7. d. excuſ. tut.* Nam qvis ille, qvem magna pecuniæ qvantitas non faciat à fide vacillare? Poſſunt tamen Advocati pro

ſingu-

ſingulis cauſis licitè usq; ad 100. aureos accipere *l.1.§.12.d. extraord. cogn.* & plus etiam deberi puto, ſi Advocatus in causâ ſuccumbat, qvia ſi viciſſet, laus ei fuiſſet loco præmii, qvum victus pudorem ferat Sed nominum disputationi diutiùs non inſiſtemus *arg.l.2.§.1. C.d.conſtit.pec.* ne Grammaticum hîc potius agere videamur.

VI. Uſu vocis cognito progredimur ad Rei ipſius intelligentiam, ubi primùm ſeſe offert Exiſtentiæ ipſius verificatio, num detur talis habitus? Sed qvia argumentis id evincere, nihil aliud eſt, qvàm Solem facibus illuſtrare velle *can. 7. c. 6. q. 1.* meritò hoc præterimus, & primo loco duplicē Jurisprudentiæ definitionem pertractabimus, qvamvis definitiones in jure difficiles ſint *l. 32. d. uſur.* & facilè calumniam patiantur, uti graphicè tradit *Neviz. in ſylva lib. 1. n. 173.* (2.) Cauſas Jurisprudētiæ ſcrutabimur; nam ut ſine cauſis nihil fit, ita ſine cauſis nihil perfectè cognoſci poteſt. (3.) diviſionem (4.) principia & fontes, & deniq; pugnantia Jurisprudentiæ ſubjūgemus.

VII. Jus ſeu Jurisprudentia à Celſo definitur Ars æqvi & boni i.e. perſpiciendi, qvid æqvum vel iniqvum ſit, eaq; perſpicientia conſiſtit. 1. in intelligendo, qvid hominum ſocietati utile & æqvabile ſit. 2. in facti circumſtantiarum conſideratione, ex qvarum varietate omnia æſtimanda. 3. in legum interpretatione, earumq; uſu & accommodatione. Illud autem notandum eſt, qvòd JCti bonum ab æqvo non dividunt, ſed plerumq; conjungunt, ne ſi utile ab honeſto abſtrahatur, una ſit Virtus, qvæ malitia dicatur *Cic. 1. d. L. L.* Nec refert, qvòd publicæ utilitatis cauſa jus civile interdum deviet ab æqvitate; nam facilè ſummi numinis venia in eo ſperatur, per qvod multorum ſalus procuratur *l. 10. C. d. feri.* præſertim ſi nec religio nec fides contrarientur, in qvibus terminis conceditur Magiſtratui pro uſu Reipubl. ſe πολιτικῶς gerere, paulumq; ab æqvitatis ſemita recedere, ut proximè ad eam accedat, licèt non recto ſemper greſſu, tamen per anfractus & curſu nonnihil inflexo, non ſecus ac nautæ, qvi portum, qvem recto curſu tenere non poſſunt, mutatâ velificatione aſſeqvuntur; namq; deviare melius eſt, qvàm naufragii periculum ſubire; privatos viros luere, minus malum eſt, qvàm Rempubl. peſſundari, & ut *Plutarchus* ait; in parvis rebus à juſtitiâ abeundum, ſi eam ſervatam volueris in magnis.

VIII. Tyriorum coloniæ decus deſcribit Jurisprudentiam, qvòd ſit

rerum divinarum & humanarum notitia, juſti & injuſti ſcientia. Genus Jurisprudentiæ propriè loqvendo non eſt Ars vel Scientia, ſed Prudentia Civilis, qvam Sutholt *diſſert.1.th.2.* ex mente Platonis dividit in Regiam qvæ in ſolâ ſupremâ Majeſtate reſidet, & Ordinativam, qvæ ad nutum Regiæ illius, Rempubl. gubernare adjuvat; eaq; conſtituitur triplex. 1. Imperatoria, qvæ in bellicis negotiis, & aliis juſſis Majeſtatis exeqvendis occupatur. 2. Oratoria, qvæ in legationibus & conſultationibus ſenatoriis perſpicitur. 3 Judiciaria, qvæ in genere ſubditorum vitas & mores perſtringit vel per cenſuram, vel per jura & leges; qvæ ultima hujus loci maximè propria eſt.

IX. Cauſa Efficiens prima & univerſalis Jurisprudentiæ eſt Deus, ſine qvo nulla mens eſt bona *Sen. lo. ep. 74.* ſine qvo qværere ſapientiam, non eſt ſani, ſed aſſiduâ laborantis ægritudine *can. 7. c. 26. q. 2. & ut Scalig. exerc. 359. ſect. 1.* ait, ſine qvo omnis in literarum ſtudiis peregrinatio, eſt miſerabilis erratio. Qvocirca meritò principium ab eo, qvi ſolus principio & fine caret, ducimus, inq; ejus nomine ad omnia conſilia & actus progredimur *l. 2. C. d. præfect. præt. afr.* qvippe ex qvo bonum ſemper ſeqvitur initium, melius medium, optimusq; finis.

X. Cauſa Particularis eſt & Princeps & minus Princeps. Princeps cauſa remota eſt Natura ſeu ingenium aptum natum ad juris habitum acqvirendum, qvod innuit Imperator *in proœm. Inſt.* ubi cupidæ ſaltem legum juventuti artem juris inſcribit. Sit itaq; juris Studioſus 1. Juvenis, cùm, qvò qvisq; junior, hoc docilior eſſe præſumatur *l.37.d. ædilit.edict.* Sic Nerva 17. annorum filius publicè de jure reſpondiſſe fertur *l. 1. §. 3. d. poſtul.* qvamvis hoc ſingulare ſit exemplum, nec in conſeqventiam trahendum; ſunt enim aliqvi præcocis ingenii, alii non; jura autem ſcribuntur de his, qvæ utplurimum accidunt, non qvæ inopinatò *l.5.d.LL.* 2. Sit legum cupidus. Stultitia enim eſt, venatum ducere invitos canes, taròq; ſtudia naturæ contraria felicem exitum ſortiuntur. 3. Sit conſtans & continuus tam ratione operis, ut totum ſtudium ſit abſolutum *§. ſ. J. in proœm.* qvàm temporis, ut intra qvinqvennium *l.3§.4.C.d.advocat.* vel ſeptennium abſolvatur *c.34.d.elect.in 6.* qvamvis hodie temporis ſpatium vix attendatur. 4. Qvi multum valeat ingenio & memoria *Olhafius in σκιαγραφίᾳ Jurisp.Rom.th.16.* Nonnulli in juris Studioſo ſeqven-

ſeqventia tria deſiderant (1.) Caput ferreum, qvod laborum patiens. Eſt namq; juris ſtudium (cujus ꝟ. 9198. Codex 4554. ll. comprehendunt) res valde laborioſa & difficilis, cujus difficultatis rationem adſignat Jaſon, qvòd ideo id factum, ut JCti nos facerent muſare, noſtramq; exercerent ſegnitiem, ne nimiâ facilitate redderent difficultates legales communes cum idiotis; Vel, qvod JCti cognoverunt, jura hoc pacto plus habitura majeſtatis, ſi ſub involucro oculis proferrentur, qvàm ſi prorſus retecta viſerentur; nam ſunt, qvæ per Cryſtallum gravius pellucent, qvàm ſi nuda conſpiciantur. (2.) Culum plumbeum, hominem ſcil. asſiduum & diſcendi cupidum, *vid. l.20. d. fideicom. libert. & can. 1. c 24 q. 3.* (3) Crumenam auream, ſed rectè Vultej. *in proleg. Juriſpr. Rom.* ait, multos ſine hac egregiam in jure operam præſtitiſſe, & multò feliciorem qvàm illi, qvibus ea ſuppetit: divitiæ enim ſæpe ad philoſophandum obſtitiſſe creditæ ſunt; unde Crates Thebanus magnum auri pondus abjeciſſe fertur *can. 71. c. 12. q. 1.*

XI. Cauſa propinqva eſt ipſa juris cognitio, cujus optima diſcendi ratio eſt, ſi Juſtinianeus novus (qvem olim ridiculo & frivolo nomine Dupondium i. e. duarum drachmarum Studioſum nominabant) à ſimplicioribus ſummisq; rerum ediſcendis & revolvendis ordiatur *§. 2. J. d. J. & J.* Nam perplexa & numeroſa inſtitutio in animis adoleſcentum vel diffidentiam vel deſperationem parit *d. §. 2.* Eſt & ſtudiis ſua infantia. Ideoq; prius lineamenta ducenda, opus informandum, pòſt veris utendum coloribus; prius levi ac ſimplici viâ, pòſt exactisſimè ſingula tractanda, præſertim verò ea qvæ qvotidiana, ſcituq; neceſſaria ſunt *l. 25. d. liber. leg.* negligenda autem omnia ea, qvæ plurimum artificii, minimum utilitatis habent *l. 2. §. 17. d. J. V. E.* eſt ſtultus ille labor ineptiarum & turpe difficiles habere nugas.

XII. Cauſa proxima eſt Exercitatio practica, ſine qvâ Theoria nihil eſt, qvàm mera Phantaſia, & tanqvam vanus theſaurus, cujus nullus eſt uſus. Eſt enim omnis juſtitiæ laus in actu & operatione *unde Olbaſ. in alleg. tr. th. 18.* ait: Eos qvi in theorica legum ſcientia conſeneſcunt, neq; ad Practicam deſcendunt, nunqvam habitu Jurisprudentiæ decoratum iri, adeoq; nec JCtos ſalutari poſſe. qvod tamen intellectum nolo de iis, qvi cùm in foro obtinere non poſſunt.

ſunt, exemplo Trebatii tranſeunt à cauſis agendis ad munus profesſionis *l.2.§.46.d.O.J.*

XIII. Cauſa minus princeps eſt vel impellens ſeu impulſiva, vel miniſtrans. Cauſa impulſiva eſt 1. Amor gloriæ & honoris, qvem Jurisperiti cõſeqvuntur in foro, in legationibus, aliisq; partibus Reip. peragendis *§.f.J.in proœm.* Sic Alfenus (qvi diu adoleſcens ſutrinam exercuit *Horat. lib. 1. ſat. 3.*) eâ de cauſa Conſul eſt creatus *l.2. §.44.d O.J.* Ulpianus eſt Alexandri Imper. pater & tutor factus *l. 4. C.d.locat.* Papinianus fuit præfectus prætorio *l. 40. d.R.C.* Qvæ exempla certè calcar vobis commilitonibus addere debent, ſacra Jurisprudentiæ diligẽtiùs pertractare, ut ſpes qvoq; vos pulcherrima foveat, aliqvando Remp. gubernandam vobis concredi poſſe *§.f.J. in proœm.* Nam Optimos mortalium altisſima cupere, *Tacit.* ait *lib.3.ann.* & lepidè non nemo ſcribit; Onus ſine adſpiratione ſcribi, qvòd nemo ad hoc aſpiret; honorem verò cum aſpiratione, qvòd omnes ad eum ſpirare debeant: ſi qvis autem veſtrûm ſumma hæc faſtigia ſe aſſecuturum deſperet, is meminerit, pulchrum eſſe & in ſecundis tertiisq; conſiſtere. Nec enim ſi qvis Achillis gloriam in bellicis conſeqvi neqvit, Ajacis aut Diomedis laudem aſpernabitur? 2. Opum abundantia *per text. Nov. 1. c. f.* qvæ tamen non usq; adeò eſt attendenda, ut lucri cupiditas cauſa Jurisprudentiæ finalis ſtatuatur, uti faciunt rabulæ forenſes, qvi perinde ac ſcorta publica, qvæ pretio accepto ſui copiam faciunt, operam venalem exponunt, fora omnia circumvolant, & ſi qvæ rubiginoſi aura marſupii nares eorum adflaverit, illicò omnem pietatem ejurant, rixantur, conviciantur cum maximo fortunarum actoris & rei diſpendio, ut camera totas ſæpe domos deglutiat, ut vix camera vel cella ſuperſtes ſit: Sed hi aliqvando pœnam ſuæ vellicationis non effugient, & dicente *gloſ. in §.3.J. qvib. eſt permiſſ. fac. teſt.* plerumq; amittunt audiendi & loqvendi facultatem; cùm econtra boni Advocati qvi ſordibus non ſunt corrupti *Nov. 25.c.2. §.1.* ſemper hilarem famam conſeqvantur *l.pen.C. d. poſtul.* & ex ſententia Hippolyti plus mereantur qvàm fratres prædicatores *Neviz.in ſylv.lib.5.n.67.*

XIV. Cauſa miniſtrans ſunt. 1. Sumtus neceſſarii; nam qvia vento vivere nemo poteſt *l.2.C.d.alien.pup.præſt.* pater etiam cogendus eſt à Magiſtratu ad literarios ſumtus filio ſubminiſtrandos, qvia

& do-

& dotem conſtituere cogitur, cujus tamen eſt minor ratio, qvàm horum ſumtuum: qvin & tutor id facere compellitur *l.6.§.5.d.Carbon.edict.* Qvicqvid autem pater in ſtudia filii impenderit, regulariter non confertur *l.50.fam.ercisc.* niſi impenſæ non benè fuerint collocatæ *l.2.§.2.l.1.§.23.d.collat.* aut filius de illis qvidqvam comparſerit; aut propria bona habeat, de qvibus erogatum ſit, qvod præſumitur, ſi pater ceu mutuum conſignarit, vel in libros adminiſtrationis rerum filii redegerit. 2. Libri, ex qvibus velut ex perpetuo fonte hauritur ſapientia; unde Juſtinianus diſperſum jus certos in libros conjicere juſſit, ut exinde commodiùs addiſci poſſet *§.4.J.in proœm.* An autem libri qvoq; ſint conferendi? Neg. cùm ſicut eqvi & arma, qvæ militiæ cauſa alicui donantur, peculium ſint caſtrenſe *l.4.C.fam.erciſc.* ita libri ſunt qvaſi arma filii togatam militiam ſectantis *l.14.C.d.advocat.*

XV. Materiam ex qvâ jus noſtrum non habet: eſt enim accidens; Materia verò propriè eſt corporearum ſubſtantiarum. Subjectum ſeu materia in qvâ ſunt HOMINES IN REPUBLICA ROMANA VIVENTES. Juris ergò incapaces ſunt (1.) ii, qvibus præter figuram nihil humanæ mentis ineſt, ut Monſtra, de qvibus eſt *l 14.d.S.H.* Mulier neq; monſtrum eſt, neq; naturæ erratum, qvia à Deo creata eſt, qvi eſt ſimplicisſimus & in qvem nullus error vel accidens cadit. In multis tamen deterior eſt conditio fœminarum, qvàm maſculorum *l.9.eod.* Unde veteres, cùm aliqvem ceu mollem & effœminatum carpere vellent, fœminino eum vocabulo irriſionis cauſa appellabant *l.45.d.leg.2.* (2.) Beſtiæ, qvia non ſaltem ratione ſeu judicio, ſed & libertate agendi deſtituuntur. Nam jus reqvirit liberum agentis arbitrium, ut juſtum vel injuſtum, felix vel infelix &c. fieri posſit: at brutum neq; aliter atq; aliter agere, adeòq; nec contra nec ſecundùm jus agere dici poteſt: nam qvod non contra jus, id nec ſecundùm jus facere poteſt *l.1.§.3.ſi qvadrup.pauper.* Sparſit qvidem DEUS in animantibus varia virtutum & vitiorum ſimulachra; ſed inde ipſos habitus eis ineſſe, & virtutes attribui, non rectè aſſeritur. At neq; putandum eſt, Imperatorem brutis tribuere jus naturale *in pr.J.d.J.N.G.& C.* qvia Imperator magis voluit inclinationes illas naturales, qvæ homini cum beſtiis ſunt communes, qvàm ipſum jus naturale definire, easq; inclinationes craſsè jus

B natu-

naturale appellavit, qvod etiam fecit in *Nov. 89. c. 9. inf.* Dixi in Republ. Rom. viventes. Nam apud Gallos, Hiſpanos &c. jus civile in Academiis prælegi & explicari, in propatulo qvidem eſt, ſed ne hoc ipſo jugum imperii Rom. ſuæ qvaſi cervici imponant, eòq; honeſtiùs excusſionem jactitent, nolunt ſententias decidi tanqvam ex authoritate legum Rom. ſed interpretatione Bartoli, Baldi &c. prout ex deciſionibus eorum liqvet. Sic & in Germaniâ viget jus Romanum, non ob authoritatem Juſtiniani, ſed Lotharii Imperatoris, qvi illud obſervari voluit Irnerio auctore; ante tempora enim Lotharii hoc jus incognitum fuit, qvælibet provinciæ ſingularia jura habebant, è qvibus hodie ſoli ferè Saxones jus ſuum antiqvum obtinuerunt.

XVI. Objectum ſeu materia circa qvam ſunt res divinæ & humanæ, non qvâ tales ſunt, ſed qvâ juſtum vel injuſtum circa eas relucere poteſt. Vel, ut clariùs dicam, ſunt actiones hominum civiles in opus externum erumpentes. Actus igitur interni, qvia non ſunt ſpectabiles, Jurisprudentiæ objectum non ſunt *arg. l. 88. §. 14. d. leg. 2.* nam cùm animus hominis ſacer ſit ſpiritus, intra nos habitans, ideò ſemper ſolum Deum habet judicem *c. 34. d. ſimon.* niſi vel verbis, factis aut ſignis qvibusdam involutus, foràs ſe conſpiciendum præbeat. Diſtribuitur autem hoc objectum in perſonas, res & actiones. Nam cùm ad hoc ut actio ſeu juris effectus ex negotio fluat, reſpiciatur vel ad cauſam efficientem negotii (ut perſonas) vel ad ſubjectum (i. e. res) ideo perſonæ, res & actiones ſeorſim trutinantur, non juxta earum ſubſtantiam, ſed Juridicè, qvatenus perſona habet poteſtatem ſtatuendi aliqvid in alterum; qvatenus res acqviritur, conſervatur, amittitur; qvatenus in actione de ſtatu perſonarum vel de rebus contenditur.

XVII. Formale Jurisprudentiæ eſt, juſtum ab injuſto ſeparare *l. 1. §. 1. d. J. & J.* candida de nigris & de rubentibus atra. Novit ergo bonus Advocatus omnia etiam mala *l. 23. C. mandat.* ſed non ut ea teneat, ſed vitet & repudiet: nam haud decet Advocatum plus habere ſcientiæ qvàm conſcientiæ, & ut D. Marcus loqvitur; Verecundiæ & dignitati noſtræ non convenit, qvicqvam non jure facere *l. pen. ad l. Jul. d. vi priv.* cùm qvæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam, qvæq; contra bonos mores ſunt, ea non facere

poſſe

poſſe cordatum JCtum dicendum ſit *l.15.d.condit.inſtit.* qvos aureos ac Apoſtolo authore dignos textus, ſi qvis imis ſenſibus recondat, non tam facile illibatam iſtam virginem, Jurisprudentiam intelligo, deflorabit; imò cum Papiniano ſecurem potius optabit, qvàm qvod in favorem hujus vel illius aliqvid contra conſcientiam aſſerere velit; qvamvis ſciam *Bodinum lib.3.d.Rep.c.4.n.294.* ſcribere; Papinianum fortiter magis, qvàm ſapienter feciſſe, qvòd vitam maluerit amittere, qvàm Caracallæ mandato obſeqvi.

XVIII. Finis internus eſt decidere & conſulere juxta præſcripta legum; qvæ duo munera, etſi in exercitio diſtincta ſint; nam illud eſt judicis, hoc JCti; connexa tamen ſunt ratione habitûs, ut nemo ad unum inſtructus eſſe poſſit, qvin ſimul ad alterum ſit idoneus. Fuit autem mos conſulendi olim & freqvens & optimus: nam teſtamenta vix faciebant ſine Jurisperito *l.88.§.f.d.leg.2.* litem nunqvam excipiebant patrono inconſulto *l.17.§.1.ſi ſerv.vindic.* unde eſt, qvòd non toleretur ignorantia in eo, qvi JCti copiam habere potuit *l.9.§.3.d.J.& F.J.* Sic Ariſto magnâ laude conſultus fuit à Celſo juris peritiſſimo *l.7.§.2.d.pact.* Ita Servius M. Scævolam conſuluit, ejusqve objurgationem æqviſſimè tulit *l.2.§.43.d.O.J.* de Scipione Naſica dicitur, qvòd publicè domus ei data ſit, qvò faciliùs conſuli poſſet *l.2.§.37.eod.* eſt namq; domus JCti Oraculum totius civitatis, ad qvam juris imperiti pro conſiliis ire debent, ſicut ruſtici ad ſylvam pro lignis, & olim ad civitatem pro indulgentiis *arg.l.3.C.d.repud.*

XIX. Finis externus remotus eſt ſalus publica; qvæ ſalus vel ſumma & æterna eſt, ſcil. gloria Dei, ad qvam ceu ſcopum omnes noſtræ cogitationes, motiones, molitiones tendere & contendere debent *1.Corinth.10,32.* ut unius & ſummi Dei nomen ubiq; celebretur *l.2.C.d.ſum.trinit.* ut per regnum terrenum cœleſte proficiat *arg.can.20.c.23.q.5.* & qvod à Deo eſt, ad Deum iterum tanqvam ad ſuam ultimam perfectionem tendat & recurrat. Vel media & temporalis, qvæ eſt legitima Reipubl. conſervatio *§.f.Inſt.in proœm.* qvò tempus belli & pacis rectè gubernetur *l.1.d.Juſtinian.Cod.*

XX. Finis proximus eſt Juſtitiæ adminiſtratio, qvâ nihil inter homines unqvam amabilius extitit, qvodve Deum magis placare poſſit *Nov.30.c.9.§.1.* Eſt autem Juſtitia conſtans & perpetua Volun-

tas jus ſuum cuiq; tribuendi. Juſtitia hic non accipitur pro reali perfectaq; legum adimpletione, qvæ in hominem cadere neqvit *Nov.5.c.2.§.2.* ſed pro voluntate duntaxat, i. e. pro firmo ac certo propoſito legibus obedientiam præſtandi: eſt tamen hæc voluntas non nuda cogitatio vel affectio animi otioſa, ſed negotioſa, cum facto, qvoties fert occaſio, conjuncta, uti Voluntas accipitur in *l.f. d.R.D.* cùm qvi juſtitiam colit, non ſemper ipſo actu alteri jus ſuum tribuat, ſed qvoties occaſio datur. Verba, JUS ſuum cuiq; tribuendi, hîc latè intelliguntur, ut omnes Virtutes omneq; debitum officiorum genus Deo & hominibus præſtandum comprehendant; unde porrò ſeqvitur, hic non definiri Juſtitiam particularem, ſed univerſalem; agitur enim in jure de omnibus virtutibus, ut de fortitudine *t.t.d.re milit.& in Nov.69.pr.* de liberalitate *t.t.d.donat.* de temperantia *t.t.ad l.Jul.de adult.* & ſummatim loqvendo, totus Decalogus continetur in jure noſtro explicatus. Nam juxta 1. præceptum prohibetur Apoſtaſia *t.t.C.d.apoſtat.* & *t.t.C.d.pagan.* Juxta 2. prohibetur blaſphemia *Nov.77.* incantatio, veneficium *t.t.C.d.malefic.* nec facilè conceſſerim, Sagas ex *l.4.C.eod.* horrendam ſuam malitiam defendere poſſe. Exiſtimant enim alii, *d.l.4.* à Conſtantino adhuc Ethnico latam fuiſſe; alii autem volunt, eam l. eſſe obreptitiam, qvam ad petitionem Theodoſiæ (qvæ teſte Procopio ſcenica & venefica fuit) Tribonianus hîc ſub nomine Conſtantini inſeruit, ut ſic fucum poſteris faceret; cùm & eundem Tribonianum ære corruptum multa fabricâſſe, leges pretio fixiſſe & refixiſſe notum ſit *Anton.Matth.in not.ad §.item l.Julia J.d.publ.jud. vide J.th.72.* Juxta 3. vetatur profanatio ſabbathi *l.f.C.d.fer.* nec obſtat, ruſticis die dominico permiſſum eſſe inſervire agriculturæ *l.3.C.eod.* Nam R. non violari ſabbathum, qvoties ſuccurritur vitæ noſtræ neceſſitati: ſic Chriſtus excuſat diſcipulos ſuos vellicantes ſpicas die ſeptimo *Matth.12.* Juxta 4. prohibetur contemtus parentum *l.5.C.d.patr. pot.l.1.§.2.d.obſeq.par.& patr.* Unde olim propter violentam raptionem patrem ſine veniâ in jus vocare non licebat. An autem hodie qvoq; veniâ opus ſit, qværi poteſt? Aff. Nam etſi violenta raptio in jus ceſſet, tamen alia obtinet ratio, ne pater famoſis actionibus temerè pulſetur *l.10.§.12.d.in jus voc.* Juxta 5. homicidas ultore ferro vindicat *l.Julia de ſicar.* ex juſtisſimâ lege talionis *l.3.C.d.*

epiſc.

epiſc.aud. Juxta 6. adulterium vindicat *l.Julia de adulter.* cujùs pœna hodie eſt gladius, qvem Conſtantinus primùm introduxit *l.30. §.1. C. eod.* & Juſtinianus in maſculis qvidem approbavit, in fœminis autem mitigavit *Nov. 134. c.5.* fortè qvòd mulier leviùs peccare videatur, qvippe qvæ in hoc crimine ſe paſſivè tantùm habet, maritus verò activè; vel qvòd propter ſexûs fragilitatem affectibus ſuis minus reſiſtere poſſit *Nov. 74. c.4.* vel qvòd in favorem Theodoræ Juſtinianum fœminas ita foviſſe, veriſimile ſit. Juxta 7. prohibetur rei alienæ contrectatio *t.t. d.furt.* cujus pœna olim erat capitalis, ut apparet ex *l.15.d.condict. cauſ.& l.56.§.1.d.furt.* poſtea autem pecuniaria facta eſt *Nov. 134. c.5.* Sed hodie ad antiqvum rigorem ob delictorum freqventiam reditum eſt, & furti pœna reſpectu circumſtantiarum habito ad mortem ſæpe extenditur P. H. O. *art.159.* Ubi tamen diſtingve (1.) an ſit furtum cum effractione, vel ſine eâ; & hoc caſu an ſit magnum (i.e. qvod excedit qvinq; florenos Ungaricos) vel parvum; & hîc iterum, an ter vel pluries ſit commisſum, an verò ſemel vel bis: In prioribus diſtinctionis membris eſt pœna laqvei, non in poſterioribus. Juxta 8. prohibetur falſitas *t.t. ad l. Cornel. de falſ. & t.t. de injur.* elegans qvoq; exemplum eſt in *l.1.§.1. ad l.Cornel. d.ſicar.* ubi teſtis, cujus operâ effectum eſt, ut innocens damnaretur, punitur ut ſicarius. Deniq; concupiſcentia rerum alienarum vetatur per primum & tertium juris præceptum & *l.fin.C.und.vi.* Eſt itaq; verus finis JCti, ipſa juſtitia univerſalis, non verò ſola particularis; qvæ tamen mediatus Jurisprudentiæ finis rectè appellari poteſt *Beſſel. diſp. 1. th.1.* Nam qvia legis vocem amplecti, non eſt cujusvis, numeroq; valdè pauci ſunt, qvos virtus huc ducat *Nov.L.83.* multi autem ſunt, qvi non tam pudori qvàm timori patent, neq; à malis abſtinent ob dedecus, ſed ob ſupplicia *Ariſt.10.Eth.c.10.* ideò Juſtitia particulari tanqvam medio ad univerſalem perveniendum erit, & boni metu pœnarum præmiorumq; exhortatione efficiendi *l.1.§.1.d.J.& J.*

XXI. Dividitur Juſtitia particularis in Commutativam & Diſtributivam. Illa eſt, qvæ res rebus adæqvat ſecundùm proportionem arithmeticam; & locum habet 1. in Contractibus, ut in mutuo, ubi idem in genere, qvod acceptum eſt, reſtitui debet, non pluris, adeò ut nec pacto fieri poſſit, ut creditis 10. reddantur 11. per

l. 11. d. R.C. ſive petatur ut uſura, qvæ ex pacto in ſtricti juris contractibus non debetur *l. 3. C. d. uſur.* ſive ut donatio, qvia nec animus donandi adfuit *l. 25. d. probat.* Sic & in emtione pretium merci; in locatione merces uſui; in permutatione res rei convenire debet; qvod licèt non ita exactè ſemper ob incertam rerum æſtimationem obſervetur, nihilominùs tamen juſtitia connivet, & modicam læſionem permittit, partim ne ex nimio ſervandæ æqvalitatis ſtudio contractus ſemper reſcindantur, partim ut hominum incuria excitetur, qvi qvodammodò læſi diſcant deinceps cautiùs mercari *l. 2. C. d. furt.* modò tamen fraus abſit, & circumventio ex re ipſa deſcendat; ſic enim patitur qvis juſtam negligentiæ ſuæ pœnam *l. 203. d. R. J.* Secundò locum habet in Pœnis; pœna enim delictum non excedere, ſed eidem commenſurari debet *c. 5. §. 2. d. pœn. in 6.* ita ut qvoties major eſt dolus, toties & pœna major eſſe debeat: Hinc graviùs punitur, ſi qvis iteratò peccet, qvàm qvi ſemel, qvippe qvod ille videtur omnem emendationis ſpem excludere, qvaſi jam habitum contraxerit, & mores ampliùs mutare non poſſit; et econtra, qvi caſu aliqvem occidit, mitiùs peccat, qvàm qvi ex propoſito, ut ſi qvis in tonſtrina barbam alicui radens, alterius jactu vel percusſione impulſus gulam ei præcidat *l. 11. ad l. Aqvil.* Hinc furtum manifeſtum graviùs punitur non manifeſto, eò qvòd illud præ ſe fert majorem impudentiam, hoc aliqvid verecundiæ ſibi adjunctum habet; & contra lege Moſaicâ mitiùs punitur, qvi aurum vel ſuppellectilem de domo ſurripit, qvàm qvi ovem vel bovem de paſcuo *Exod. 22. verſ. 17.* cùm qvò major eſt delinqvendi occaſio, eò majori pœnâ in officio ſit continendus; facilioris autem commisſionis eſt ovem furari, qvàm aurum, qvod diligentiùs ſolet aſſervari. Prout igitur circumſtantia loci, temporis &c. delictum auget vel minuit, ita & pœna varianda eſt. Porrò qvoq; geometricam proportionem in pœnis valere ſtatuo, qvatenus ſcil. perſona pertinet ad delicti & pœnæ magnitudinem intelligendam; ſic qvia ſuſpendium eſt genus mortis ignominioſum & vilisſimorum hominum proprium, ideò receptum eſt, ut propter qvod delictum plebeji ſuſpenduntur, nobiles decapitentur *Berlich. p. 5. concl. 44. n. 33.* nam in partem pœnæ cedit, qvod Nobili amplius de dignitate decedit, cùm econtra plebejus majorem qvidem accipiat pœnam, ſed in dignitatis amisſione non tam grande patiatur detrimentum.

XXII. Di-

XXII. Diſtributiva juſtitia eſt, qvæ res perſonis adæqvat juxtà proportionem geometricam, ut fit 1. in muneribus, qvæ perſonis ſaltem idoneis deferenda *l.11.§.1.d.muner.& hon.* Hinc jura colum removent ab officiis civilibus; Clericum à cauſis ſecularibus *l.41. C.d.epiſc.& cler.* Militem à procuratione vel mercaturâ; qvomodo enim fieri poteſt, ut ſimul negotientur milites, ſimul & inimicis reſiſtant? rationes ſuas ſimul & excubias agant? de inſtitorum cauſis ſimul & caſtrorum munitionibus ſolliciti ſint? Sic juventuti erudiendæ non præficiuntur indocti rerum magiſtri *l.7.C.d.profeſſor.* eſt enim miſerum fieri magiſtrum, qvi formam diſcipuli nondum aſſumſit *can.4.diſt.61.* mundari primùm oportet, ac deinde mundare, ſapere ac deinde ſapientiam docere, lucem fieri & poſtea illuminare *Nov.137.c.1.* 2. Locum habet in præmiis, qvæ benè de Republ. merentibus tribui convenit *l.4.C.d.ſtatu.& imagin.* non adulatoribus, aut gnaviter pocula exhaurientibus; eâ namq; ratione vitia præmiis excitantur, virtus langveſcit, pudetq; gratis fuiſſe probum. Sic præmio afficitur filius patrem proditorem occidens *l.35.d.religioſ.* ſedent illuſtres dum accuſantur, Nobiles veſci ſolent pullis, aliisq; delicatis cibis, non fabis, aut allio vel pane groſſo, qvæ ſunt cibaria ruſticorum; at nec pedes ire, ſed eqvo vel vehiculo uti debent *Juſtin.lib.41.* cujus uſus maximus eſt in productione teſtium, qvi ſæpe ultra montes producendi ſunt, ſumtibus producentis competentibus *l.11.C.d.teſtib.*

XXIII. Præcepta juris ſunt tria: primum eſt Honeſtè Vivere, cui non eſt contrarius (1.) Concubinatus. Erat enim is non vaga, ſed honeſta, certisq; legibus adſtricta conſuetudo *l.144.d.V.S.l.3.§.1.d.concubin.* adeò ut proximè ad conjugium accederet, & uxor non niſi dignitate *l.49.§.4.d.leg.3.* affectionevè maritali à concubinâ diſtaret *l.31.d.donat.* Unde vides, qvalis concubinatus de jure civili fuerit licitus? & tamen non erat probatus, ſed tantùm ſine pœnâ & infamiâ toleratus, ad majora adulterii & conſtuprationum mala avertenda. Sic & lupanaria non puniuntur *l.27.§.1.d.petit.hered.l.29. C.ad l.Jul.de adult.* & tamen legibus improbata ſunt per text. *l.41.d. R.N.* Unde cum Johanne Roberto exiſtimo; Omne qvod honeſtum eſt, jure civili præcipi. Licèt enim lex civilis non ſemper omnibus pravè factis, qvæ cum honeſtate confligere videntur, pœ-

nam

nam præſtituat, *textus eſt in l.14.§.14.d.religioſ.& ſumtib.* non tamen ea, ut fiant, præcipit, ſed conniventibus qvaſi oculis ſe ea videre diſſimulat, longè majoribus periculis obviam ire cupiens *lib.3 ſentent. juris. cap.12.*

XXIV. Videtur autem duplex eſſe Honeſtas; una, qvam leges ſuadent, qvæ & fieri laudabiliter, & ſine turpitudine omitti, vel aliter fieri poteſt: ſic non eſt virginalis pudoris, ambire maritum, ſed expectare, & cùm à viro expetitur, tacere & erubeſcere ad mentionem nuptiarum, tepidèq; diſſentire, exemplo Rebeccæ *can. 13. c. 32. q. 2.* nè aut ſeſe obtuliſſe, aut pro ſexûs decore non ſatis verecundè egiſſe videatur, ut ne incommodum, qvod Icaſiæ nobili & eruditæ virgini olim contigiſſe legimus, ipſi eveniat: ea enim cùm Theophilo Imperatori Conſtantinopolitano adeò placeret, ut jam jam malum aureum, in fidei conjugiiq; pignus ei porrecturus videretur, ob promtius reſponſum rejecta, præ animi ægritudine cœnobio ſe mancipavit *Cypr. de caſib. matrimonial. cap. 3.* Sic fideicommiſſa olim ex ſolo pudore & fide eorum, qvi rogabantur aliqvid reſtituere, pendebant, adeò ut invitus nemo cogeretur præſtare id, de qvo rogatus eſſet, cùm preces non adferant neceſſitatem *arg. l 11. §. 2. d. leg. 3.* niſi ſint potentiorum, qvorum verba rogativa habent vim mandati & imperii. Huc pertinet philoſophica illa obligatio ſeu honeſtas, qvâ qvis donatori tenetur ad remunerandum, *vide infra th. 67.* Altera Honeſtas eſt, qvam leges præcipiunt, nec voluntati noſtræ relinqvunt: ſic nefas eſt, patris mortui cubile, qvod tanqvam res ſacra intactum ſini oportuit, contemerare; neq; ſenectutis, neq; materni nominis verecundiâ tangi, eundem ejusdem eſſe filium & maritum, eandem ejusdem eſſe matrem & uxorem *Philo de ſpecialib. L.L.* Sic fidem fallere, turpe eſt, *l.1.d.conſtit.pec.* etſi id fiat ad utilitatem Reipubl. ne commoda noſtra malis artibus amplificemus; unde laudantur Romani, qvorum imperium non aliâ virtute creviſſe creditur, qvàm fide pariter erga amicos & inimicos. Dixerim tamen & Romanos peccâſſe, cùm Carthaginenſium civitatem ſalvam fore pacti, urbem flammis delevêre, præſertim cùm non credibile ſit, de illâ inter urbem & civitatem differentiâ Carthaginenſes qvidqvam cogitâſſe; nam qvid intereſt, apertè qvis decipiatur, an per ſubtiles æqvivocationes, prout olim Diabolus ſub oraculi

ſpe-

ſpecie ambiguis ejusmodi reſponſis ſuos conſultores ludificare ſolitus eſt.

XXV. Secundum præceptum eſt, Alterum non lædere; nam ſi ab uno homine omnes orimur, qvid aliud qvàm fratres ſumus & conſangvinei? & ideò Ulpian. ait *in l. 3. d. J. & J.* nefas eſſe, hominem homini velle inſidiari. Leonum feritas eqvidem inter ſe non dimicat, & extremè algidam oportet eſſe hyemem, qvâ lupus lupum devoret, qvantò magis igitur homo homini manſuetus eſſe debet *l 7. d. ſerv. exportand.* At dices: ſi alium non lædere, an ſeipſum occidere licet? Sed 1. Natura abhorret, qvæ vult ſui conſervationem, *confer. l. 23 §. 3. d. ædil. edict.* 2. Salus Reipubl. vetat, cui naſcimur, vivimus & mori debemus. 3. lex civilis non admittit; prohibet enim ſui caſtrationem *l. 4. §. 2. ad l. Cornel. d ſicar.* Ergò multò magis interfectionem. Diſtingvitur qvidem de jure civili inter cauſam *αὐτοχειρίας*, ut ſi qvis ex conſcientiâ talis flagitii, qvod per ſe importat bonorum confiſcationem, ſe occiderit, ejus bona publicentur *l. 3. §. 1. & 3. d. bon. cor. qvi ant. ſent.* ſin autem ex vitæ tædio vel aliâ causâ id fiat, tunc nullam pœnam mereatur *d. l. 3. §. 3.* ſed hoc eſt ex Stoicis, qvorum diſciplinâ JCti fuêre imbuti. Nam hodie *juxta c. placuit. c. 23. q. 5.* *αὐτόχειρες*, ex qvacunq; causâ ſe necantes, vel ſub oſtii limine extracti (indignus enim judicatur per illud oſtium & ſuper limen efferri, per qvod qvis vivus exierit) vel per feneſtram dejecti ſepeliuntur in agris vel locis ſuppliciis deſtinatis, vel ſi honeſtiores ſunt, in cœmiteriis propinqvis, *Matth. Stephan d. arte jur. c. 4. n. 15.* niſi forſan ex furore potiùs, vel melancholiâ ſe qvis occiderit, cujus cadaver honeſtè ſepeliendum; ſiqvidem de ejus reprobatione nihil ex Sacris literis conſtat, nullâq; pœnâ *in Conſtitut. Carol. art. 131. verſ.* Wo ſich aber. dignus cenſetur.

XXVI. Tertium præceptum eſt, Suum cuiq; tribuere. Cui non obſtat 1. qvòd naturaliter contrahentibus ſe invicem decipere licet *l. 16. §. 4. d. minor.* Nam Rx. aliud eſſe fraudulento conſilio aliqvem fallere, qvod jura improbant *l 2. l. 5. C. d. reſcind. vendit.* aliud autem proprii qvæſtûs causâ potiùs, qvàm alteriùs decipiendi animo circumſcribere aliqvem in ſolo pretio, qvod leges permittunt, cùm aliàs ſpe lucri ſublatâ neceſſe ſit perire mercaturam, qvâ nihil habet Respubl. uberius, utilius, *vid. th. 21.* 2. Non obſtat, Uſuras

 jure

jure civili permitti. Statuo enim eas neq; jure divino, naturali, vel canonico, ſimpliciter prohiberi. Nam jus divinum permittit fœnus ab extraneo accipere, ergò ſaltem qvoad fratres prohibetur *Deut.23.verſ.20.* non tamen indiſtinctè; qvia ſi debitor eſt pauper & inops, vetamur ab illo qvicqvam exigere *Exod. 22. verſ.25.* qvia fratri egenti ſuccurrendum, etſi ſpe ſortis reſtituendæ deſtituamur *Luc.6 verſ.35.* ut officiis Ethnicos ſuperemus, iisq; benefaciamus, à qvibus mutua officia ſperare non poſſumus. Qvod ſi diviti aut certanti de lucro, mutuo damus, uſuræ moderatæ peti poſſunt, *arg.c.25. Matth.* Jus Naturæ permittit uſuras; qvia ita vult alteri benefacere, ut te ſerves indemnem *l.7.teſtam.qvemadm.aper.* & licèt naturæ congruum non ſit, id ab alio exigere, qvod qvis non accepit; tamen id verum eſt, ſi nihil commodi ex re mea percipere potuit; nam pro rei uſu, pretium exigere, illicitum non eſt. Jus Canonicum damnat tantùm uſuras immodicas, qvæ proximum gravant, non verò legitimas; qvia uſuras ad modum intereſſe petere concedit à tempore moræ, qvod qvis diu pecunia caruit *arg. l.14.d.cond.indeb.* 3. Non obſtat, de crimine capitali Reis tranſigere licere *l.18.C d.transact.* Nam ℞. qvod transactio non tollat ipſam noxam: Hactenus enim Reo ignoſcitur, ne pro confeſſo habeatur *l.7. d.prævaric.* & is, qvi transegit, ab accuſando removeatur. Judex itaq; & alii non obſtante transactione nihilominùs accuſare poſſunt *arg.l.27.§.4.d.pact.l.3.de transact.* 4. Deniq; non obſtat huic præcepto, impium illud Uſucapionis præſidium, uti appellatur *in Nov.9.in pr.& l.1.in fin.C.d.uſucap.transform.* Nam etſi cum æqvitate aliqvatenus pugnare videatur Uſucapio, ea tamen bona fit partim ex circumſtantiâ boni publici, qvod dominiorum incertitudinem, litiumq; immortalitatem abhorret: partim ex odio non agentium aut qverentium, ut homines ad res ſuas cuſtodiendas attentiores reddantur. Vix enim eſt, ut non videatur alienare, qvi patitur uſucapi *l.25.de V.S.* cùm & aliàs ex diuturnâ patientiâ inducatur conſenſus, qvaſi id in rerum ſuarum numero ampliùs habere nolit.

XXVII. Jurisprudentiæ noſtræ ſunt duæ poſitiones (i.e. partes ſeu capita; nam ſpecie jus publicum à privato non differt) Jus Publicum & Privatum, qvæ diviſio ſumta eſt ratione objecti, non verò

cau-

cauſæ efficientis; qvia ita omnia jura eſſent publica, eò qvòd omnes leges à Principe promanant: Sic teſtamenti factio dicitur juris publici *l. 3. d. teſtament.* qvia legibus, non privatorum authoritate tribuitur, adeò ut filiusfam. nè patre qvidem permittente, ne qvidem de peculio adventitio, qvod pleno jure habet, teſtamentum facere posſit *l. pen. C. qvi teſtam. fac.* ſed nec emancipari posſit ad hunc actum, ut qvoad reliqva maneat in poteſtate *l. 42. d. pact.* Alio ſenſu jus Publicum dicitur, qvod omnibus eſt ſcriptum, non privatim ſingulis *l. 116. §. 1. d. R. J.* Sed misſis his & aliis ſignificationibus, propriè jus Publicum dicitur, qvod ad ſtatum publicum conſervandum pertinet. Jus Privatum dicitur, qvod ad ſingulorum utilitatem pertinet. Utilitas autem hîc attenditur, qvæ primariò & principaliter eſt; cùm aliàs jus publicum à privato nihil diſtaret; nam conſeqventer bonum publicum includit qvoq; privatum; & vice verſa, qvod ſingulorum eſt, mediatè qvoq; publicè utile eſſe poteſt. Sic publicè intereſt mulieres dotes ſalvas habere *l. 2 d. jur. dot.* unde maritus res dotales disſipans, tenetur eas uxori ante tempus reddere *l. 24. pr. ſolut. matr.* neq; cautio hîc ſufficit, cùm nemo cautionis fragilitati ſe committere teneatur iis caſibus, qvibus bona dilapidantur & diſperduntur, qvò minùs ipſa bona petere posſit *l. 66. §. 1. ad SC. Trebell.* nam tutius eſt, rem ſuam ſalvam manere, qvàm tabulas cautionis habere *l. 5. d. ſuſpect. tut.* atq; incertum illius eventum expectare, qvippe qvòd cui ſoluta eſt pecunia, ei omnis res in tuto ſit; at qvi cautionem habet, ſæpè litigare cogitur; ſunt enim homines ad diſſentiendum faciles *l. 17. §. 6. d. recept: qvi arbitr.* & qvæ certisſima ac verisſima ſunt, ſæpè impetuntur & in dubium apud alios lingva venenata vocantur *Nov. 44. c. 1. §. 3.* Nam qvid homo ad malitiam ſemel deditus, non adinveniat *Nov. 72.* Sic publicè utile eſt, cives eſſe locupletes *Nov. 8.* cùm qvæ ſinguli dominio, Princeps imperio posſideat; ita ut de illis diſponere posſit dirigendo eorum uſum ad publicam utilitatem; prout hoc jus uſurpari videmus in privatorum terris ſumendis ad opera munimentorum, aggerum, operumvè publicorum. At enim non niſi parcisſimè Princeps aliis qvicqvam auferat, nec voluptatem pro utilitate ſeqvatur: Imperator Auguſtus exemplo prævivit, dum forum anguſtius facere maluit, qvàm proximas domos poſſeſſoribus extorqvere,

 Sue-

Sueton.in Auguſt. c. 56. Sic publicè expedit, ne qvis re ſuâ malè utatur; nam ſalus publica non tam viris qvàm virorum viribus & patrimoniorum amplitudine æſtimatur, qvæ ſi abuſus peſſundat, & Rempubl paulatim labi neceſſe eſt; unde olim ſine pœna non fuit, ſi qvis agrum vel vineam ſuam paſſus fuerat ſordeſcere.

XXVIII. Cùm autem jus publicum & privatum multum ſibi invicem conferant; ideò qvemvis Jurisprudentiæ cultorem non minùs in hoc qvàm illo verſari debere ſtatuo. Ita in laudem Tuberonis dicitur, qvòd juris publici & privati doctisſimus habitus fuerit *l. 2. §. 45. d. O. J.* & Imperator illa addiſcenda monet, qvæ JCtum aptum reddant ad Rempubl gubernandam *§. f. J. in proœm.* cùm ſi turpe ſit civi, jus in qvo verſatur ignorare *l. 2. §. 43. d. O. J.* qvantò magis ſtatum Reip. unde jus deduci teſtatur *Ariſtot. 3. & 6. polit.* & ſi publica privatis, ſacra humanis, omniumq; deniq; hominum æſtimatio aliis rebus præferenda, qvantò magis publicam qvàm privatam Jurisprudentiam ſcire noſtra intereſt. Sed hoc tempore rem invertimus; de jure privato, de ſtillicidiis (ut Cicero ſuos illos deriſit *lib. 1. de legib.*) de glande legenda, curioſè disputamus: Jus publicum nemo curat; de hoc altum in ſcholis ſilentium, qvaſi hoc in aulis & archivis Principum deliteſcere debeat; *uti ſentiunt Bachov. in comm. ad §. fin. J. d. J. & J. & Conring. in præfat. in Tacit. de morib. German.* qvaſi judicialis illa ſubtilitas in publica negotia non cadat *Volckmar. d. jur. princ. in proœm* Sed his rectè reſpondet Dn. Thabor *in comm. de metat. c. 5. ut & Fibig. in elect. jur. publ. diſp. 1. q. 4.* ubi ita diſtingvit inter juris publici capita. Illa enim vel reſpiciunt fundamenta juris publici generalia in Conſtitut: Imperii jam definita & publicata; vel concernunt talia, qvæ adhuc inter Cæſarem Statusq; imperii ſunt controverſa. Horum inqviſitionem à ſcholis ablegandam eſſe ajo, qvia conſilia Principis, cùm utplurimum lateant, nec qvivis ea intelligat, non inqvirere, ſed de iis parum prudenterq; loqvi fas eſt. *Proverb. 25.* & pulchrè Euphorm. *in icon. anim. c. 13.* ſit à curioſis cogitationibus intactum regium culmen, ac ut arcana in ſacris vetuſtatis non niſi ad adorationem ſuſpiciatur. Illa tantùm ſcholis conſecrata volo, ſed moderamen reqviro, ut abſtineatur à nimis periculoſis qvæſtionibus, propriumq; judicium non rarò ſuſpendatur; meliùs enim eſt, ubi greſſus ſe-

mitæ

mitæ lubricus eſt, relatoris, qvàm cenſoris partes ſuſtinere, ne vindictæ Principum locus relinqvatur. Cùm itaq; juris ſtudioſo vix ſine pudore Jus publicum ignorare liceat, qvædam ejus capita hîc annectam, nec ſpero, dicam mihi ſcribet qvisqvam, qvòd publica tango vir privatus: Meminerit (ſunt verba Petronii Satyrici) Æſchylum non initiatum ſacris Eleuſines, potuiſſe ea ſcire & revelare.

XXIX. Dividitur Jus Publicum in Sacrum & Profanum. Illud tractat de rebus & perſonis ſacris: hoc de rebus & perſonis profanis. Jus ſacrum primo loco tractabimus *arg. l. 22. C. d. SS. eccleſ.* non qvidem qvod de ipſis fidei præceptis hîc contendere animus ſit, qvippe qvorum controverſia non ad tribunal Prætoris, ſed cathedram Petri pertinet; ſed qvatenus cura ſacrorum ad Magiſtratûs officium ſpectare dignoſcitur; ad cujus meliorem intellectum præmittemus haſce duas qvæſtiones. 1. An jus ſacrorum pertineat ad Principem? 2. An Clerici in actib9 téporalib9 ſint Jurisdictioni ſeculari ſubjecti? Priorem qvæſtionem nego, ſi eam de curâ adminiſtrationis accipias *per text. 2. Chron. 26.* affirmo autem ſi de cura directionis mecum intelligas. Nam cùm religio ſit unicum Reipubl. vinculum, ideò Princeps ſedulò providere debet, ne religio aliqvid detrimenti capiat: arguunt hoc imprimis Leges Principum Chriſtianorum, qvas ipſi de rebus & perſonis ſacris, de diebus feſtis &c. tulerunt, non qvidem vi vel precariò, ut obſcurè arguit *Fach. lib 8. controv. c. 1.* ſed ſuo jure & ex mandato divino *Joſu 1, 8. Eſa. 49, 23. Pſal. 24, 7.* Arguunt hoc exempla; ſic David Rex ſacra ad cultum externum ſpectantia ipſemet ordinavit, Pſalmos compoſuit, cantores Levitas conſtituit *1. Chron. 23.* Sic Numa Rex, Romanos ad virtutis ſtudium adduxit, cùm rebus humanis cœleſte numen intereſſe doceret *Liv. lib. 1.* multòq; ſibi obſeqventiorem populum in rebus omnibus effecit, qvàm Romulus vi armorum & diſciplinâ militari. Unde qvi fundamenta imperii firma vel conſtituere vel conſervare volunt, imprimis id mediante religione faciant; nam animus ſubditorum plerumq; eò inclinat, qvò inclinat is, qvi minimè errare poſſe ob divinitatis, minimèq; malè agere velle ob pietatis opinionem exiſtimatur.

XXX. Alteram qvæſtionem negant omnes, qvi Pontificis Romani os, pectus, manus, humerum, brachia, genua, pedes, oſculo

 luben-

lubentis oris oſculantur (nam in his 7. corporis partibus Papa pro diverſitate perſonarum oſculum recipit, ut ex Innocent. refert *Caſtald. de Imperat. q. 64. n. 7.*) Sed contrarium ſuo obſeqvio docuit 1. ipſe caput Cleri Chriſtus *Matth. 17, 27. Joh. 19, 10.* 2. Idem monſtrat praxis Eccleſiæ primitivæ: nunqvam enim leguntur Epiſcopi tot vel tot annis regnâſſe, ſed ſediſſe, (in cathedra ſcil. qvæ antiqvum publicæ profesſionis ſignum *Matth. 22.*) nec in eorum epiſtolis hæc verba; Mandamus, Jubemus, prout hodie fieri conſuevit, ſed Monemus Hortamur, & his ſimilia inveniuntur. 3. Idem probat Jus Canonicum. Nam *in c 9. diſt. 10.* profitetur Pontifex Leo IV. ſe præcepta Lotharii & Imperatorum omnibus modis ſervaturum: cumq; dictus Leo ob crimen læſæ majeſtatis delatus eſſet, coram Legato Imperatoris cauſam dixiſſe, ejusq; judicio ſe purgâſſe, oſtendit *can. 41. c. 2. q. 7.* 4. Deniq; probat hoc Jus civile primis temporibus conditum, qvo Clerici etiam inviti, cauſam dicere cogebantur apud judicem civilem *l. 22. C. d. epiſcop. & cler.* qvi erat Præſes provinciæ *l. 33. C. eod.* Illud concedo, temporibus ſeqventibus hæc variè immutata eſſe. Nam favore religionis Principes chriſtiani Epiſcopis ſuis conceſſerunt 1. non tantùm Audientiam Epiſcopalem, ſed & omnimodam Jurisdictionem eccleſiaſticam, ne qvis Clericum ad judicium ſeculare traheret, gravi adjectâ pœnâ *Auth. ſtatuimus. C. eod.* 2. Conceſſerunt eis primatum ſesſionis *Nov. 131. c. 2.* non tamen primatum poteſtatis uti ex *l. inter claras. 8. C. d. ſumm. trinit.* aliqvi probare volunt; nam ea lex, non inter claras, ſed obſcuras & ſuſpectas leges meritò numeratur, eò qvòd neq; in libris integrioribus reperitur, neq; loci & temporis indicationem habet, ut *Nov. 47.* poſtulat. 3. Conceſſerunt eis ſuperbum illum titulum Oecumenici & univerſalis Epiſcopi, qvod hac occaſione factum. Cùm Præſul Romanus & Conſtantinopolitanus invicem de ſupremo in Eccleſiâ primatu, non ſine ſcandalo contenderent, hanc ambitioſam litem componens Imperator Phocas, ut ſuum cæde & ſangvine occupatum imperium in Occidente ſtabiliret, rogante Bonifacio III. Antiſtite Romano pronuntiavit, ut ſedes Romanæ Eccleſiæ omnium aliarum Eccleſiarum caput eſſet, *Paul. Diacon. ad Eutrop. lib. 18.* unde myſterium iniqvitatis ita creviſſe dicit Wendelin. *in Inſtit. polit. lib. 2. c. 32.* ut Pontifices Romani in ipſos etiam

Reges & Principes ſuperioritatem exercere, imò chriſtianos Imperatores (à qvibus opibùs & tot honoribus non expetendis aucti, & paulò infra Deum adoruti erant) excommunicare, ſolioq; deturbare cœperint; und iſt alſo der zuvor gedienet und unterthan geweſen/ ſeinem Herrn zu haupt gewachſen/ und ſeyn die ſtüle auff die banck geſtiegen/ uti loqvitur Chriſtian Lehman *in Chron. Spir. lib. 5. c. 67.*

XXXI. Pergimus ad ipſum Principis officium, qvod conſiſtit 1. in vera & unica religionis inſtitutione. Non enim Princeps ſe omnium religioni accommodare debet, qvod foret cultum æqvâ portione inter Deum & Diabolum dividere: unus eſt Deus, fides & ſalutis via una, à qvâ qvi declinant, ſunt extra Chriſtum & Eccleſiam. At qvia unitatem doctrinæ potiùs optare, qvàm ſperare hîc liceat, cogitur interdum Magiſtratus plures admittere religiones; nam tempori qvandoq; cedendum eſt; præſtat religionum multitudo, qvàm carnificina conſcientiarum; præſtat paucos conſervare pios, qvàm committere, ut omnes cum eversâ Republ. pereant; ſic in Romano imperio videmus diverſas cohabitare religiones, qvò pax civilis inter ſubditos magis retineatur, qvò fida animorum conjunctio inter Status conſervetur, & qvalescunq; imperii noſtri relliqviæ, & ferro lutei pedes magis ſtabilirentur. Qværitur hinc, qvid faciendum, ſi Princeps contra datam fidem ſubditos ad committendum qvid contra conſcientiam urgeat? ℞. Dicat ſubditus, Domine, excuſabis me, tu carcerem minaris & mortem, ſi non faciam; at Deus ſi faciam, minatur infernum & mortem æternam *Auguſtin. de verb. domin. ſerm. 6.* Deo itaq; magis eſt obediendum, ejusq; auxilium ſeriò implorandum, ut ipſe Principis animum inclinare, & ex Saulo Paulum facere velit: porrò ad Principem qvoq; confugiendum, precibusq; inſtandum; qvibus ſi adhuc nihil efficicitur, acqvieſcendum conſilio Chriſti, & fugiendum de civitate in civitatem *Matth. 10.* vel ſi fugere non licet, vitam potiùs qvàm fidem deſerere, patiendo qvàm reſiſtendo Principis imperium declinare oportet. Nam nulla vis ſubditorum in Principem eſt juſta. Qvare ut nimios imbres cæteraq; naturæ mala, ita & Principes perferre debemus, ſive juſtè ſive injuſtè imperaverint *Rom. 13.* præſertim cùm natura non ſemper nobis optimos indulgeat Imperatores, ſed

per

per intervalla, ut poſt civile bellum Octavianus, poſt Neronis tyrannidem Veſpaſianus, poſt Domitiani crudelitatem Trajanus & Antoninus, poſt Commodi furorem Severus, poſt Heliogabali veſaniam Alexander qvaſi diſtinguendis malorum Principum ordinibus dentur & ſeqvantur. Attamen ne Principis ſævitia ſummum damnum Reipubl. inferat, proceres ex officio intervenire, & Principem lenioribus priùs remediis tentare, emollire, corrigere debent; & ſi adhuc nihil efficitur, armis etiam experiri poſſunt, ſed ita ut ſcutum potiùs ſumant, qvàm gladium, defenſivè non offenſivè agant, multò minùs eum religionis prætextu regno dejiciant, ne rebellandi occaſio detur.

XXXII. Inſtituenda autem eſt religio non vi & armis, ſed prece & prædicationibus, exemplo Chriſti, qvi humilitate incarnationis, ignominiâ paſſionis & prædicatione rudium ac vilium piſcatorum regnum ſuum in mundum introduxit: eſt namq; pietatis ara, armis inimica, nec gratum Deo, qvod non eſt voluntarium *Pſal. 113. verſ. 3.* eſt inaudita prædicatio, qvæ verberibus exigit fidem. Unde meritò improbatur Hiſpanica Inqviſitio, qvæ à Ferdinando Arragono Caroli V. avo materno, primò qvidem contra Judæos & Ethnicos, qvi poſt baptiſmum ad priores ritus redibant, introducta, & Sixto IV. approbata, pòſt invulgato Lutheri nomine ita continuata, ut in omnes promiſcuè, qvi vel minimum de religione ſuſpecti, exerceri crudeliſſimè cœperit, adeò ut in ſolo Belgio Dux Albanus paucis annis, qvibus præfuit 18000. hominum & 600. utriusq; ſexus, clam & palam in gratiam Pontificis trucidaverit. *Autor de jure belli Belgic.*

XXXIII. Secundò conſiſtit Principis officium in Religionis conſervatione, qvæ in ſe complectitur. 1. curam vocationis Miniſtrorum Eccleſiæ, in qvorum conſtitutione in noſtris locis hic ordo plerumq; ſervatur, ut Magiſtratui competat nominatio, præſentatio, confirmatio: Presbyterio examen, ordinatio, inauguratio: Populo conſenſus, ſuffragium, approbatio. Officium autem ita vocati & ordinati Miniſtri eſt (1.) verbum Dei prædicare, & facere, ut vita ſimul verbo reſpondeat: qvia plus illi efficiunt, qvi verbis & opere ſimul loqvuntur; qvi ſibi primùm, & tum demum aliis concionantur. (2.) Sacramenta rectè adminiſtrare, non mutare vel mutilare,

uti factum eſt in Concilio Conſtantienſi & Baſilenſi, ubi uſus calicis in ſacra cœna laicis eſt ereptus; nam voluntatem teſtatoris non licet pro parte approbare vel repudiare *l. 2. d. adqvir. hered.* (3.) In functione legitimâ conſtanter permanere, etiam in perſeqvutionibus, cùm ſi periculoſum ſit in tranqvillitate navem deſerere, qvantò magis in fluctibus *can. 47. c. 7. q. 1.* idq; & tempore peſtis obſervari debet, ubi ſtent Miniſtri inter vivos & mortuos, & iram Dei, exemplo Aaronis placare debent *Num. 16, 48.* (4.) Jejuniis & precibus pro omnium ſalute fundendis vacare *l. 34. §. 3. C. d. epiſcop. aud.* nullis curis atq; negotiis ſecularibus ſe implicare *can. 8. c. 16. q. 1.* qvamvis teſte experientiâ, hoc parum apud Pontificios obſervetur, ubi Clerici magis ſolliciti ſunt de augmento crumenæ, qvàm Eccleſiæ; unde qvidam illos ita introducit loqventes: Divitum lectis aſſidemus, unde eſt qvid ſperemus; dum narrant, qvantum peccaverint, nos qværimus qvid legaverint; ſcribe fili nos heredes, lega fundum, dona ædes; nos pro te ſupplicabimus, & reqviem cantabimus. Plura de Clericorum officiis & vitiis paſſim habentur in *Novellis & t. t. C. de epiſcop. & cler.*

XXXIV. 2, Scholarum extructionem, de qvibus *in th 51.* 3. Curam ſeu diſpenſationem bonorum eccleſiaſticorum, qvod & eò extendi poteſt, ut ſi uſus, ad qvem ea bona deſtinata ſunt, impius vel ſuperſtitioſus deprehendatur, liceat Principi ea convertere vel in dotes virginum tenuiorum, vel ut ſcholæ hinc inde aperiantur, in qvibus non ſolùm eruditis Præceptoribus honeſta ſtipendia conſtituantur, ſed & pauperibus ſcholaſticis de victu & ſuſtentatione provideatur. Poſſunt qvoq; publica Noſocomia ex iis inſtitui in eorum uſum, qvi in bellis ſe pro Republ. ſtrenuè geſſerunt, & vel vulneribus debilitati ſunt, vel per ætatem militiæ labores ampliùs perferre non poſſunt, ut hæc militaris virtutis qvaſi aſyla conſtituantur, ubi benè meritorum & emeritorum illa non turpis ſenectus honeſtè ſuſtentetur. Non malè qvoq; inſumitur, qvod regni neceſſitates abſumunt, cujus gratiâ templa ipſa in arces conſtrui, & vaſa ſacra pro redimendis captivis frangi poſſunt. *Marcellin. de jur. princip. lib. 6. c. 22.*

XXXV. 4. Jurisdictionem eccleſiaſticam, qvam Principes Proteſtantes partim ſibi reſervârunt, uti eſt Synodorum convocatio;

Conſtitutionum eccleſiaſticarum promulgatio, inter qvas refero atq; probo ſtatutum illud, qvo Judæi recepti ſtatis diebus ad prædicationem Evangelii audiendam convenire tenentur *per text. l 3. in pr. C. d. ſumm. trinit.* nam qvomodo credent, inqvit Paulus, ſi non audivère *Rom. 10. verſ. 14. 17.* Partim eam per Superintendentes exercent, uti eſt Miniſtrorum Eccleſiæ ordinatio, & viſitatio. Partim deniq; per Conſiſtoria tractari curant, uti eſt perſonarum & cauſarum eccleſiaſticarum dijudicatio. Etſi autem perſonæ eccleſiaſticæ in temporalibus ſint jurisdictioni ſeculari ſubjectæ, tamen non ſtatim qvilibet paganus vel oppidanus Magiſtratus poteſtatem ſibi ſumere debet, eas in forum politicum vocandi, deq; iis non aliter ac gregario cive decernendi; nam dignitas perſonæ & ſtatus efficit, ut ſub uno ſupremo Magiſtratu aliud ſit tribunal civium, aliud Clericorum, *Mindan. lib. 1. proceſſ. c. 28.* ne contemtis verbi divini miniſtris, ipſum Dei verbum vileſcat. Cauſas eccleſiaſticas dico, in qvibus de periculo animæ, vel jure ad Eccleſiam pertinente qværitur, uti eſt cauſa decimarum, & beneficiorum eccleſiaſticarum &c. Item cauſæ Matrimoniales, qvatenus in iis agitur ad impediendum, dirimendum vel declarandum matrimonium; ſed Pontificii Theologi hodie ſatis innuunt, matrimonium eſſe ſtatum ſeu cauſam carnalem, cùm aliàs ab eo non abſtinerent, qvippe qvorum religioni non convenit à ſpiritualibus abſtinere. Canoniſtæ huc qvoq; referunt materiam uſurarum *in clem. c. 2. d. judic.* qvando ſcil. lis ſuper uſurâ principaliter movetur: ſed benè eis Molin. *d. uſur. n. 155.* reſpondet: Qvod Canoniſtæ dixerunt, uſuras eſſe crimen eccleſiaſticum, eſt merum ludibrium, in auctionem Pontificum, & depresſionem ſecularis poteſtatis ſuperſtitiosè inductum.

XXXVI 5. Deniq; Hæreſium abolitionem. Accipiebatur qvidem hæreſis olim & in bonam & in malam partem *l. 6. §. 2. d. excuſat. tut.* ſed hodie eſt nomen odioſum & infame, cùm qvicqvid lupus in ovili, aper in vinea, id hæreticus in Eccleſiâ reputetur. Eſt autem hæreticus, qvi falſam doctrinam fundamento fidei contrariam pertinaciter tuetur atq; propugnat. Jeſuiticæ definitionis hæreticus eſt, qvi Jeſuitarum artes qvoqvo modo impedit, aut ipſis non per omnia obſeqvitur, qvod vel ex Venetorum exemplo intelligere poſſumus, qvos hæc ſecta ante aliqvot annos pro peſtilentiſ-

ſimis

ſimis hæreticis proclamavit, qvod Inqviſitoriæ poteſtatis libidinem intra nimis arctos carceres concluſerant, *vid. Sleidan. lib. 19.* Imperator hæreticum definit, qvi vel levi argumento detectus fuerit à judicio Catholicæ religionis deviare *l. 2. §. 1. C. d. haret.* qvam definitionem eleganter explicat Thabor de metat. *part. 3. ſect. 2. c. 2. art. 1. n. 6.* Qværitur hinc, an hæretici legitimis modis (nempe, non ex ſapientia humana, ſed eâ doctrinâ, qvam D. Petrus Romæ tradidiſſe fertur *l. 1. C. d ſumm. Trinit.* id eſt, ex ſola S. Scriptura *Jeſ. 8, 20.*) convicti, ſint capitaliter puniendi? Affirmant hoc omnes, qvi ubera Antichriſti ſugunt Pontificii ſangviſugæ. Nos diſtingvimus inter Vetus & Novum Teſtamentum; illic licitum erat occidere ob mandatum Dei, ne populo gentilibus mixto, dubia redderetur Meſſiæ præſentia, qvi ex illo populo expectandus; in hoc ſecus eſſe dico *per text. Matth. 13, 29.* & idem qvoq; eſt de jure civili, qvod hæreticos ut hæreticos (exceptis Manichæis) capite non punit, ſcilic. qvia hæreſis non eſt civile, ſed ſpirituale delictum, error animi & opinionis, qvi non eſt ex genere capitalium. Aliàs plectuntur hæretici plerumq; exilio, infamiâ, aliâve pœnâ arbitrariâ, ita tamen ut pertinaces & refractarii diſtingvantur à corrigibilibus, qvibus Eccleſia gremium non claudit *l. 4. §. 6. C. d. haret.* docentes & ſeductores à diſcentibus *l. 8. §. 5. C. eod.* & ſedatis, pro qvibus etiam Epiſcopi ſæpè interceſſerunt *Nov. 129. c. 1.* à ſimplicibus, blaſphemi vel ſeditioſi, in qvos capitaliter, non ut hæreticos ſed ut P. P. turbatores & reos majeſtatis animadvertitur. Sunt etiam aliæ pœnæ hæreticorum, ut (1.) qvòd libri eorum comburendi *Nov. 42. c. 1. §. 2.* (2.) qvòd nulla templa vel mutua conventicula eis concedenda *Nov. 43. c. 3.* (3.) Arcentur à dignitatibus *l. 12. C. d. haret.* unde pro aliis poſtulare prohibentur *l. 15. C. d. epiſcop. aud.* (4.) ſunt inteſtabiles, niſi adſint liberi Orthodoxi *l. 4. §. 2. l. 19. C. d. haret.* (5.) Sepulturâ eccleſiaſticâ privantur, qvippe qvæ ultimo defunctorum honori tribuitur, & pietatis teſtimonio, à cujus commercio impii excluduntur, cùm abſurdum ſit, qvos vivos damnamus, eos mortuos velle beatos prædicare, *adde 2. Chron. 24, 18.* Et hæc de jure Sacrorum; ſuccedit Jus Publico profanum, ubi de ſumma Principis poteſtate pauca attingam, imitaturus hac in re Pictores, qvibus in more poſitum, ut vaſtiſſimum aliqvem diſtrictum depicturi, apices tantùm & ſuprema rerum cul-

mina deumbrent. Nec qvicqvam refragatur *l.3.C.d. crimin. ſacril.* Non enim de Principis poteſtate diſſerere, ſacrilegium eſt, ſi diſputatio hunc ſibi finem habet propoſitum, ut veritas eruatur, & nihil in Principis contumeliam fiat. Si autem fortè in his Regis vel Principis alicujus jus præter fas & æqvum lædatur, id pro indicto habiturus: dixi enim non judicandi, nedum præjudicandi, ſed diſſerendi animo; cùm in liberâ civitate, liberas oporteat eſſe lingvas & mentes; at non in Deum impias; non in hominem injurias.

XXXVII. Majeſtatis vocabulum interdum ſumitur pro imperio judicis *l. 9 d. juriſdict.* qvandoq; pro authoritate & veneratione perſonæ eminentioris, qvâ multi ſæpè deterriti, à propoſito occidendi Regis revocati fuêre: freqventius ſumitur pro ſumma & maxima poteſtate in perſonas ac res ſuæ ditionis; qvæ poteſtas, ſi uni permittitur, dicitur Monarchia; ſi paucis atq; præcipuis, Ariſtocratia; ſi univerſis, Democratia. At Democraticum genus ferè tumultuoſum eſt, & ſeditionibus obnoxium. Ariſtocraticum videtur eſſe præſtantius; ſed ob naturalem hominum ad diſſentiendum libidinem, præſtat unius imperium Dominatu paucorum: nam ſublimia ut unius Dei nutu, ſic inferiora divinorum velut imago unius capitis nervis regenda! ſuffragatur eidem vetuſtas, tranqvillitas & SS. Literarum authoritas, in qvibus Deus ipſe à condito mundo inſtituit qvatuor univerſalia imperia, nempe Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum, qvod ultimum Julius Cæſar inchoavit, Auguſtus collapſum reſtauravit. Nam Cæſare interfecto, cùm Reſpubl. armis Brutorum &c. fluctuaret, nec alius diſcordantis patriæ remedium eſſet, qvàm ut ſub uno regeretur *l.2.§.11.d.O.J.* Divus Auguſtus omnem poteſtatem accepit, ſub leni tamen nomine Principatus. Nam qvia Regis & Dictatoris nomen apud Romanos erat inviſum, Auguſtus ob modeſtiam Principis nomen adſumſit, Regis repudiavit, *Tacit. 1. annal.* qvamvis reipsâ hæc dominationis vocabula, Princeps, Dictator &c. eſſent unum & idem, & ſic umbra ſaltem populo obducta, ut putaret ſe habere qvod jam revera amiſerat: lupus ſcil. auribus non tenetur, at populum auribus ſeu blandis ſermonibus maximè ducere oportet.

XXXVIII. Ut autem Romanæ Monarchiæ initia & viciſſitudines paulò altiùs repetamus. Cœpit felix Romanorum genus ex

par-

parvis admodum principiis, *Nov.24.pr.* ex Trojano nempe incendio *Nov.47.* initioq; paucis tantùm vicinis imperârunt Romani in Italiâ, ſed poſtea latiùs progreſſi ſunt in Siciliam, in Africam, inde ſe converterunt ad Hiſpanias, ad Gallias, infuſi ſunt in Aſiam, occupârunt imperium Macedonicum; qvin & Germanorum (qvos ſolos & ſemper Romani metuebant) libertatem aggreſſi ſunt, & cùm illis fortitudine ſe impares viderent, dolis atq; fallaciis contenderunt, circumvenerunt eos pecuniæ interventu, & emerunt Germanorum auxilia contra Germanos; atq; ita Germanos vicerunt per Germanos. Nec victrix Aqvila citius qvieſcere potuit, qvin armis aut armorum terrore percelleret, qvantum ad Orientem eſt, & qvantum Occidens reſpicit, & qvantum ex utriusq; lateribus eſt *Nov. 26. c. 2.* donec Roma caput orbis, communis omnium patria diceretur *l.33. ad municip.* Fuit tamen Imperium Romanum non ſemper Romæ; nam Conſtantinus ſedem Imperii poſtea Byzantium tranſtulit, qvam à ſuo nomine Conſtantinopolin appellavit: item novam Romam, melioribus auguriis conditam urbem *l.1.§.10.d.concept.ff.* A Byzantio deinde iterùm translatum eſt imperium per Carolum M. ad Germanos hoc modò. Cùm Cæſares in Oriente imperantes, & variis bellis agitati, ab Italiâ longiùs abeſſent, eamq; à graſſantibus ibi Longobardis tueri non poſſent, tandem Carolus M. Germanorum Imperator, Longobardos penitus devicit, regnum Italiæ ſibi ſubjecit, ſed Auguſtali titulo abſtinuit, donec à Græcis Imperatoribus, transactione factâ ipſum qvoq; imperium Romanum accepit, qvod in hunc usq; diem apud nos durat & durabit. Hinc igitur noſtra Germania titulos imperii innumeros, triumphos ſplendidos, ſpolia opima excepit. Hinc penes Nos cuncta hæc ſunt *(ut Fridtric.I. Imperat. ait apud Goldaſt. Conſtit. Imper. tom.3.)* antiqvæ Romæ gloria, Senatoriæ dignitatis gravitas, eqveſtris ordinis virtus & diſciplina, ad conflictum procedentis intemerata ac indomita audacia; ad Nos ſimul omnia hæc cum imperio dimanârunt; non ceſſit Nobis nudum imperium, virtute ſuâ amictum venit, ornamenta ſua ſecum traxit &c. Negant qvidem nonnulli Germanicum imperium poſſe dici Romanum, ſed hi Suadâ nullâ efficient, hoc ut eis credamus: nam qvia rem ipſam hodie habemus, qvare idem nomen uſurpare non liceret; nec refert, qvòd Roma (qvæ hodie nihil eſt,

 qvàm

qvàm priſtinæ venuſtatis ſuæ ſpurium & impurum cadaver) nunc ſedes Pontificis eſt facta; qvia non locus, ſed qvalitas rebus nomen impertiri debet, ut Roma ſit, ubi Imperator eſt; adeoq; Roma eſt hodie Viennæ, Pragæ, vel ubi Imperatori libuerit, & conſeqventer omnes vagabundi, ut nautæ, mendici &c. qvibus totus mundus unum eſt territorium, ibidem conveniri poſſunt.

XXXIX. Ex dictis jam facilè liqvet, qvid de Germanici Imperii noſtri dignitate ſentiendum ſit? Eſt enim Imperator inter Reges tanqvam Chriſtianiſſimus *l. 8. C. d ſumm. Trin.* & Nobiliſſimus *l. 3. d. natal. reſtit.* tanqvā Principum Princeps & nominis Chriſtiani ſplendor, in cujus tranqvillitate totius orbis regularitas conſiſtit, ajente *Henric. VII. Imperat. in conſtit. qvemad. in laſ. majeſt. crim.* qvem reliqvi dominantes jure ſuſpiciunt, & qvaſi ſingulare qvid in eo eſſe cognoſcunt, *uti Rex Theodoricus ſcribit apud Caſſiodor.* qvod etiam fatetur Alphonſus Rex Neapolitanus, dum inqvit: Nos Reges omnes debemus reverentiam Imperatori ceu ſummo Regi, qvi eſt caput & Dux Regum. Unde qvibus imperare non poteſt, his jura venerationis imponit. Non igitur Imperator appellatur mundi Dominus ad pompam, ut nugatur Bodinus (qvi & multa alia finxit ad obfuſcandam imperii noſtri eminentiam, ex merâ calumniandi libidine, odio & invidiâ ob Regis ſui Franciſci, Caroli V. competitoris, in imperio Germanico ambiendo repulſam) *de republ. 1. c. 9. n. 129.* ſed verè & καȣ' ἐξοχὴν, ratione ſcil. Monarchicæ præeminentiæ, non autem qvòd univerſum terrarum orbem ſuo imperio ſubditum habeat. Nam conſtat innumeras gentes, potiſſimùm ultra Euphratem, imperio Romano nunqvam ſubditas, ſed multas fœderatas Romanis fuiſſe æqvali jure, multas iiſdem formidabiles, cum qvibus pacem feciſſe gaviſi fuerint, vel inimicitias ſine victoria aluerint *Pauermeiſt. de Juriſd 2. c. 2. n. 21.* imò ipſæ LL. Romanæ agnoſcunt limites imperii terminatos *l. 4. C. d. commerc.* ergo non extenditur ad totum mundum. Poſſumus etiam hanc locutionem dominii univerſalis ſynecdochicè, pro majore mundi parte accipere *arg. l. 156. d. V. S.* Nam plura tenuerunt Romani, qvàm ulla alia Reſpubl. Sed proh Deum! in qvantum hodie imperium Romanum ab antiqvâ illâ potentiâ defecit? qvot ditiones, qvot urbes ei avulſæ ſunt? unde Aqvila ita infirmata eſt, ut jam magis cæterorum pietate, qvàm ſuâ for-

fortitudine ſervari videatur; unde non parùm dignitas ejus hebeſcere cœpit. At nihilominùs Imperii noſtri plantarium pedis ferreum, firmum permanere, & ab extremâ deletione prorſus liberum futurum, omniaq; regna durabilitate & firmitate ſuperare debet, juxta vaticinium Danielis *c.2.v.41.*

XL. Propria Majeſtatis ſunt. I. ut ſit ſumma ſeu independens, ſuæq; qvaſi originis. Hinc vaſallus majeſtatem non habet. Illud concedo, poſſe aliqvem ſummam in regno ſuo obtinere poteſtatem, & tamen alterius imperii vaſallum eſſe; ſic Daniæ Rex, licèt Holſatiæ Ducatum ab imperio recognoſcat, in Danos majeſtatem retinet, adeoq; crimen majeſtatis in eum ut Regem Daniæ, non ut Ducem Holſatiæ committi poteſt. Cliens ſummam poteſtatem non amittit, qvamvis Protectoris majeſtatem comiter obſervare teneatur *l.7.§.1.d.captiv.& poſtl.* talis enim ſubmisſio nihil derogat Majeſtati; tantùm arguit vel vires anguſtiores, vel minus latè patens imperium, vel vetuſtiorem ſtirpem &c. Interim videmus has ſubmisſiones periculo ſæpè non vacare, ex potente patrono plerumq; fieri Dominum, ex cliente ſubditum vel planè ſervum: ſic Romani fœdera cum exteris faciendo, & poſtea ſocios juvando, totum penè terrarum orbem occupârunt, unde Latini qverebantur, ſub umbra fœderis æqvi ſervitutem ſe pati, Halycarn. *lib.6.* Liv. *lib.34.* Rex Bohemiæ Majeſtatem non habet, qvia Imperator ei privilegia confert *arg.tit.8.A.B.Car.IV.* qvorum datio arguit jus ſuperioritatis; præterea ipſum regnum Bohemicum tantùm imperii Germanici provincia, ejusq; in ſinu eſt, licèt ab ipſius corpore execta ſit lingvâ, moribus, legibusq; diverſis. Auguſtæ ſumma poteſtas communicari neqvit, & ideò crimen majeſtatis in eam non committitur, nec legibus ſoluta eſt *l.31.d.LL.* qvia negatâ majeſtate, affectio qvoq; negatur. Comparatur tamen Principi in his, qvæ ſunt dignitatis & utilitatis, ut in privilegiis, immunitatibus *d.l.31.d.LL.§.fin.J.d.uſucap. l.6.§.fin.d.jur.fiſc.* nam privatorum uxores radiis maritorum coruſcant *l.fin.C.d.incol.* an ergò Principum deterioris conditionis? II. Ut ſit perpetua; hinc Vicariis Electoribus tempore interregni majeſtatem non tribuo, qvippe qvorum poteſtas novi Regis electione finitur & expirat. Sic Dictator Romanus ſummum qvidem habebat Imperium, parebant ei Coſs. provocare ab eo non licebat,

imò

imò jus de tergo vitâq; delinqventis penes unum illum erat, ſed non ultra Kalendas ſextas *l.2.§.18.d.O.J.* majeſtatem igitur non habuit. III. Ut ſit Propria, qvæ ſuis nititur viribus, proprioq; lucet lumine, non alieno, ut Luna. IV. Ut ſit Legibus ſoluta, nempe civilibus. Pugnat enim cum dignitate Principis, legibus coactivè ſubjici, prout ſubditi ſubjiciuntur *arg. l.13.§.4. ad SC. Trebell. Nov.23. c.2.* qvanqvam boni Principis officium reqvirat, ut leges ceu media ſalutis publicæ ſervando, Reipubl. proſit. Sic veteres Monarchæ laudi ſibi duxerunt, limitatam agnoſcere poteſtatem *l.4.C.d.LL.* Principalem præeminentiam conſiliis alligare *l.8. C. eod.* inq; ſalutem patriæ à jure ſuo recedere.

XLI. Modi adqvirendi Majeſtatem præcipui ſunt Electio & Succesſio. Succesſivum regnum dicitur, qvod à majoribus provenit vel ad omnes liberos, vel qvod plerumq; fit, ad filium duntaxat Primogenitum, qvi in Galliâ dicitur Delphinus, in Hiſpania Infans, in Sueciâ Princeps Finlandiæ, in Angliâ Princeps Walliæ, in Dania heres Norvegiæ. Regnum Electivum eſt, qvod libero eligentium judicio defertur. Sic eliguntur Reges Daniæ, Poloniæ, qvamvis filii demortuorum Regum cæteris in electione præferantur *Bodin. de republ.6.c.5.n.723.* Sic & Papatus electione defertur, nec ad filios transmittitur; nàm qvia Pontifices non poſſunt fieri Mariti, ideò filios legitimos procreare non poſſunt, ſed tantùm Naturales *§.12. J. de nupt.* in qvibus paterni criminis exempla metuuntur *gloſſ. in c.11 diſt.56.* ſolet autem Papæ electio ita publicari. Prior Diaconorum apertâ ſacrarii feneſtrâ crucem proferens clamat: Annuncio vobis gaudium magnum, Reverendisſimus Dominus Cardinalis. N. in Pontificem electus eſt, & nomen N ſibi elegit: nam ſi Papa fuerit improbus, nominat ſe Benedictum aut Bonifacium; ſi timidus, Leonem; ſi turpis & obſcœnus Urbanum; ſi nocens, Innocentem; ſi tyrannus, Clementem &c. In imperio Romano olim varia electionis ratio fuit obſervata. Nam qvandoq; Imperatores ſibimetipſis ſucceſſores adſcribebant, vel ſangvinis & cognationis prærogativâ permoti, vel ob egregias alicujus virtutes proprio judicio ducti: qvandoq; Senatus electionis jure utebatur: ſæpè etiam militari ſuffragio ea res peragebatur. Hodie Imperatoris electio ad certos tantùm Principes ſpectat, qvos ab officio electionis dicimus Electores.

An-

Andius ſine bono (prout appellavit eum Cujac.) vel ut diſertiùs eum dicam, Johannes Bodinus vocat eos Creatores, paſſim in *t.t. libro de republ.* Illud hic indagare lubet, qvî factum, qvòd una cum ſecularibus Principibus, eccleſiaſtici qvoq; ad Electionem Imperatoris perficiendam admiſſi ſint? Puto autem id factum eſſe, vel ob Pontificis arrogantiam, qvi ſic ſibi clam ſtruxit viam ad ſtabiliendam ſuam poteſtatem; vel certè ob devotionem Veterum, qvi ita demùm omnia rectè proceſſura credebant, ſi religionis Antiſtites ſuis conſiliis haberent præſentes *Heig. part. 1. q. 4. n. 61* qvæ devotio procul dubio etiam cauſa fuit, qvòd Epiſcopi à Ludovico Pio Imperatore in Principum ordinem relati *Helmold lib. 1. c. 4.* & dulcisſimo Nepotum nomine decorati ſunt, *uti patet ex Friderici III. reformat. de anno 1442* vom heimblichen Gericht / qvod in hunc usq; diem eis tribuitur, ut qvi de naturali cognationis & neceſſitudinis prærogativâ, ſæpè gloriari non poſſunt (ſic Willigis primus Elector Moguntinenſis, thedario patre natus perhibetur, unde hodienum Archiepiſcoporum Moguntinenſium inſigne, Rota perduravit) civilis qvaſi adoptionis beneficio ſuis coelectoribus fierent æqvales *Heig. dict. loc.*

XLII. Electioni locus fit, qvoties imperium vacat; qvamvis interdum & viventi Imperatori ſucceſſor deſtinetur, qvi hodie eſt Rex Romanorum, olim Cæſar dictus. Imperium autē vacare dicitur (1.) reſignatione, qvod fieri poſſe probant exempla Caroli V. Lotharii, Diocletiani &c. (2) degradatione, ut contigit Adolpho Naſſovio, & Wenceslao Caroli IV. filio, præter qvæ exempla, plura & poſteriora non occurrunt. (3.) morte, qvæ omnia ſolvit. Sed interim dolendum eſt, Imperatorum partem non minimam, haud naturaliter & ægritudine præambulâ, ſed violenter extingvi. Ecce enim ab Auguſto ad Conſtantinum numerantur 43. Imperatores, ex qvibus vix decem ſunt, qvos filius, aut frater, aut uxor, aut amicus, ferro, veneno, laqveové non interemerit *Alber. Gentil. de arm. Rom. lib. 1. c. 11.* In regno ſucceſſivo, qvod certo ſangvini deſtinatum, vix eſt, ut imperium morte vacare dicatur; nam vivere qvodammodò ipſe putatur, cujus progenies imperare cognoſcitur. Unde magis dilatatū, qvàm mutatum videtur imperium, cùm tranſit ad poſteros, qvò reſpexiſſe videtur Cancellarius regni Galliæ apud Camerar. *lib. 1. horar. ſubciſ. c. 2.* ubi ait, Regem Galliæ nunqvam mori. Sed redeo ad electionem

Imperatoris, cujus modum & ſolennitates latè hic Dd. deſcribunt: Nos tria tantùm reqviſita notabimus (1.) ut eligatur Unus. Nam ut mundus non patitur duos Soles, ſic imperium non patitur duplicem majeſtatem, cùm alioqvi biceps & monſtroſum efficeretur. Licèt autem aliqvando duo vel plures ſimul fuerint Imperatores, unus tamen ſummam poteſtatem habuit, & verè Imperator fuit, reliqvi vel ſocii fuerunt, vel pro unâ perſonâ reputati: vel ſi aliqvando plures Impp. ſimul imperârunt, facto, non juri id adſcribendum puto; & ſicut plures qvandoq; Solis imagines apparuiſſe, ſed tandem disſipatos ſcimus, ita etiam plurium Impp. regimen, reliqvis proſtratis, tandem ad unum devolutum fuit. (2.) Ut eligatur Germanus, qvod ab Ottone III. conſtitutum eſſe tradit Cuſpinian. *in vita ejus.* Dicitur autem Germanus, qvi patre vel avo Germano, licèt extra Germaniam, natus eſt *l. 6 §. 1. ad municip.* nam qvi ex filio & uxore ejus naſcitur, in avi poteſtate eſt, ejusq; originem & familiam ſeqvitur *l. 19. d. S. H. l. 3. C. d. municip. & orig.* Hinc Carolus V. Maximiliani I. nepos, vivo avo natus, rectè dicitur Germanus & imperii capax. (3.) Ut eligatur ingentis potentiæ Princeps, qvi vel opulentis ditionibus, vel purpurâ ſceptrisq; emineat: ſola virtus atq; nobilitas ſuffragia hæc ferre non poſſunt. Elegantis qvæſtionis eſt; an ſeipſum qvis ad dignitatem eligere posſit? Certè Sigiſmundus Imperator, cùm ob regiam dignitatem primo ordine ſuffragium diceret, ſe elegit, dicens; me novi, alios non æqvè, an mecum orbis imperio digni ſint. Sed hoc jura improbant, & ceu votum ambitioſum rejiciunt *l. fin. d. off. prætor. l. 5. d. off. præſid.* Uno tamen caſu licet ſeipſum ſuffragio nominare, de qvo agitur *in A. B. tit. 2. § f.* Exempla habet Buxtorff. *ad A. B. th. 39.*

XLIII. Conſervatur Majeſtas & Legibus & Armis. Non enim qvàm maximè dilatatos efficere imperii terminos, Reipubl. felicitas eſt, ſed maximos minimosq; ſuo qvosq; loco tueri, qvod certè difficilius eſt, qvàm comparare: nam hoc ſæpiùs ei contigit, qvi audaciam duntaxat adhibuit; ſæpè & posſidentis ignavia acqvirenti multum prodeſt, ſed ſtabilire & retinere, qvod adeptus es, ſine magno ſtudio fieri non ſolet. Unde Scipio cum Cenſor eſſet, noluit in ſolenni carmine precari; Dii augete, ſed conſervate Rempubl. Vidit enim magnitudine ſuâ imperium Rom. laborare, pluresq; gentes

ſub-

ſubjugatas, qvàm qvas tueri ac regere vel ob ferocitatem, aut remotum ſitum, vel ob militum licentiam liceret. *adde Camerar. lib. 1. horar. ſubciſ.* Cæterùm qvæ ſint ſingularia novi imperii ſtabiliendi arcana, habet Beſold *in ſynopſ. pol. 3. c. 1. th. 10.* Nos pergimus ad Regalia, à Rege ſic dicta, qvi in jure feudali Imperatorem deſignat.

XLIV. Regalia ſunt jura ſingularia ſoli Imperatori, vel ejus beneficio alicui competentia; eaq; partim ſoli Cæſari ſunt reſervata, partim verò Statibus Imperii communicata, attamen citra majeſtatis communionem vel potius imminutionem: nam tantum abeſt, ut per hanc munificentiam poteſtatis ſuæ eclipſin patiatur ſtella illa matutina, qvod circumſidentes throni ſui fulgore irradiat, ut vel magis honorabilis efficiatur *Nov. 15 pr.* tantòq; magis Imperiale ſceptrum extollatur, qvantò tribunal ipſius in circuitu circumſpicit perſonas digniores, Spangenberg. *in Chron. Henneberg.* Unde Guilielmus Bruſſus, Scotus narrat, ut in Italia palatia, in Gallia milites, in Hiſpania præſules, in Anglia agricolas, in Polonia nobiles (ego addo in Suecia Duces bellicoſos) ita in Germaniâ Principes omni admiratione dignos ſe inveniſſe. Anteqvam verò ipſa Regalia ineamus, diſpicienda venit celebris illa qvæſtio: Anne verum jus Majeſtaticum *1. Sam. 8.* deſcribatur? Negat hoc Daniel Cramerus, ubi ad verba, hoc erit jus Regis, ita ſcribit: Es iſt zweyerley Recht/ eines das im grunde und an jhm ſelbſt recht iſt / und iſt juris; ein anders/ das jhm mancher für recht ſelbſt hält/ und heiſſt facti. Alſo meynen etzliche Potentaten / es ſey alles recht / was ſie nur thun/ und jhnen gelüſtet. Mihi ſalvo aliorum judicio affirmativa placet. Nam (1.) Samuel eandem legem Regni, ante faciem Domini repoſuit in arca fœderis, *1. Sam. 10, 25.* (2.) qvia *in d. cap. 8.* nihil recenſetur, qvod veri Tyranni notam habet; nam Regem decet pompa regalis, qvæ continetur *d. c. 8. v. 11.* decent eum Centuriones & tribuni, qvi continentur *verſ. 12.* adminiſtri variorum officiorum *verſ. 13.* decet, ut alatur à ſubditis, hinc exiguntur neceſſaria regni ſubſidia *verſ. 14.* cenſus *verſ. 15.* operæ *verſ. 16.* & decimæ *verſ. 17.* Nam concedendum eſt aliqvid iis, qvi ſuis conſiliis & laboribus pro toto terrarum orbe die ac nocte laborant, ut dignam ſuâ prærogativâ habeant fortunam *l. 3. C. d. qvadr. præſcript.*

XLV. Inter reſervata Cæſaris refertur. 1. Condere LL. generales, ſed de his infra. 2. Bellum indicere, qvod innuentes Ethnici ipſis Diis arma adſignarunt; Jovi fulmen, Neptuno Tridentem, Saturno falcem, arcum Apollini, qvid aliud inumbrantes, qvàm jus belli indicendi ſolis Diis terreſtribus; i.e. ſummo Principi eſſe conceſſum, *can.4.c.23.q.1.* Unde bellum ab inferiore ſuſceptum, regulariter præſumitur injuſtum, niſi non offenſivum ſed defenſivum bellum geratur, vel niſi periculum ſit in mora, & Cæſaris copia haberi non posſit, ne dum Romæ conſultatur, Saguntum expugnetur; nam imminenti malo occurrendum eſt, nec qvieſcendum, donec venenum ad præcordia usq; penetret, donec civitas expugnata, cives trucidati, urbs in cineres redacta. Licitum autem eſſe Chriſtianis bellum gerere, latè probat Heider. *polit. c. 5.* modò ſit juſtum; juſta autem belli cauſa eſt, qvæ pro fide militat non offenſivè, ſed defenſivè, qvæ patriam tuetur, legatos violatos vindicat, ſocios defendit, vicinos periclitantes adjuvat: ita Herculem non rogatum ſubvenire conſueviſſe accepimus; nam maturè à vicinis occurrendum initiis alienæ potentiæ nimiùm creſcentis, cùm aliàs facilè fieri posſit, ut oppresſis vicinis iipſi in prædam cedant, qvi eos adjuvare neglexerunt; qvod ſuo malo experti ſunt Hetruſci neglectis Vejis. Libertatis recuperandæ deſiderium non excuſat ſubditos rebelles, qvi fide datâ, alterius ſceptra ſemel approbârunt; qvocirca non laudandi ſunt Cæſaris interfectores, in cujus imperium populus ex poſt facto jam conſenſerat. Nocendi vel habendi cupiditas vel deniq; fervor ambitionis juſtam belli cauſam non præbet; nam ut Auguſt. ait, eſt jactantis & levisſimi ingenii, ardore triumphandi & ob lauream coronam. i. e. folia infructuoſa in diſcrimen per incertos certaminum eventus, civium ſecuritatem præcipitare. *Sueton. & Aurel.* errata enim in bello, veniam vel gratiam non expectant; qvod obſervantes Veneti (qvamvis Bodinus eos comparet leporibus & beſtiis imbellibus *lib.6.d. republ.*) omnes bellorum cauſas ſtudioſisſimè declinant, illata difficilimè ſuſcipiunt, ſuſcepta pace finire conantur. Sed hodiè pleriq; reperiuntur, qvi audiri malunt Principes Triumphatores, qvàm Pacifici; qvi ſua defendere, privatorum eſſe ajunt; at de alienis certare, laus regia cluit, ſed plura de bello infra.

XLVI. Sum-

XLVI. 3. Summum tribunal habere, ad qvod provocetur ab omnibus, ab eo autem provocari neqvit *l.1.§.1. à qvib. appell.* unde ſi qvis ab Imperatore ad Papam vel alium provocaverit, punitur ceu contemtor jurisdictionis Imperialis, 10. Marcis auri, qvarum ſingulæ faciunt 72. aureos Rhenanos. Sed an à Principe malè informato ad eum meliùs informandum appellari poſſit? diſting. An Princeps ipſe cauſâ cognitâ, auditis hinc inde partibus decretum tulerit, an verò ad relationem alterius? Illo caſu, appellare volens non eſt audiendus, cum nefas ſit, ipſum Principem velle injuriæ vel inconſulti judicii inſimulare *arg. l. pen. de his qvæ in teſt.* Hoc caſu, qverelam admitti poſſe puto *arg. l.1. ibi, qvia non, qvand. appell.* eò qvod facilè in narratione vel precibus qvid falsò narratum vel ſuggeſtum eſſe poſſit *l.1.§.1. d. appell.* At qvid ſi condemnatus, non ad Principem ſed ad tribunal Dei, ad juſtum Dei judicium appellet, qvod in valle Joſaphat exercetur, *Joel. 3.* & judicem intra certum tempus ibi comparendum citet? R. ejusmodi provocantem in cauſis civilibus pœna afficiendum eſſe *l.30. arg. l.6. ibi, qvis n ff. de pœn.* Cæterum etſi ab aliqvo appellari non poſſe, per ſe ſummæ jurisdictionis ſit proprius effectus, per accidens tamen aliis qvoq; tribuitur, ut olim Præfecto prætorio, & hodie Electoribus Saxoniæ & Brandenburgenſ. *adde l.1.§.1. d. offic. præf. prætor.*

XLVII. 4. Regales, Ducales &c. dignitates conferre: ex ſola tamen Ducatus, Comitatus &c. inveſtitura Dux vel Comes nemo efficitur, ſed poſſeſſor Ducatus tantùm appellatur, einhaber des Fürſtenthumbs/ nam locus hominem non ſanctificat, ſed homo locum *can. 12. diſt. 40.* & qvi emit domum Conſulis, propterea non fit Conſul *l.2. C. 11. t. 2.* At ſuſtentandæ dignitatis cauſa ſolet Duci creato provincia dari, cum aliàs caduca res foret mundanus honos, niſi opibus ſuſtentetur; niſi Ducatus realitas reſpondeat; unde natum illud; fides ſine operibus, Doctor ſine lege; eqves ſine eqvo, Comes ſine comitatu; In jure civili tamen Comites reperiuntur, qvi neq; pagos neq; jurisdictionem poſſident de qvibus *vide l.1. C. de Profeſſor. qvi in urb.*

XLVIII. 5. Jura Nobilitatis indulgere, qvod fit vel expreſsè, ut collatione diplomatum; vel tacitè, propter egregiam alicujus vir-

tutem, uti eſt Jurisprudentia & fortitudo bellica, qvæ ſunt duæ qvaſi alæ, qvibus qvis à contemtu ſe vindicare, & è ſordibus ad excelſa honorum faſtigia eluctari poteſt, *adde Ciceron. in Orat. pro Muren. pag. 147. ubi pulchram comparationem Ducis militaris cum jurisperito inſtituit, qvamvis arma bellica, juris civilis gloriæ ibidem præferre videatur.* Verùm ſicut non qvævis militia, niſi dignior, aliqvem nobilem efficit *l. 2. C. 12. t. 7.* ita nec qvælibet juris ſcientia ſtatim nobilitat, ſed ſi qvis Doctoratus honores in eâ conſeqvatur. Provident enim Doctores toti generi humano non minùs, qvàm ſi armis ac vulneribus patriam parentesq; ſalvarent *l. 14. C. d. advocat*, & ut Imperator Frideric. *in Auth. habita C. ne fil. pro patr. loqvitur*; lucent tanqvam ſplendor firmamenti, & tanqvam luminoſæ candelæ, qvæ univerſum terrarum orbem, profligatis errorum tenebris velut ſydus matutinum irradiant *c. 1. d. reliqvi. in 6.* & ideò Doctores Nobilibus qvibusdam prælati, & ſingulari qvadam veſtiendi libertate ac prærogativâ commendati ſunt. R. A. *de anno 1500. tit.* von überflüſſigkeit der Kleider / *ibi*, Die vom Adel ſo nicht Ritter oder *Doctores* ſeyn / ſollen kein Gold noch Perlen offentlich tragen. Adeò ut mirer, qvî factum, qvòd *Vultej. in Jurispr. Rom. c. 6.* omnes Dd. ſine exceptione ad cives ſine dignitate referat, & cum qvibusvis opificibus & manuariis confundat. Sed an Licentiati qvoqve Doctorum privilegiis gaudeant? qvod puto, cùm ſicut cingendus pro cincto *l. 43. d. teſt. milit.* abſolvendus pro abſoluto *l. 8. §. 2. d. manumiſſ.* ita & Doctorandus pro Doctorato in favorabilibus haberi debeat. Dicti enim ſunt Licentiati, non à licentiâ peccandi, qvaſi exleges ſint, ſed qvod habent licentiam Doctorandi, qvando velint; unde à nonnullis per jocum appellantur Licentiati, nüchterne Doctores, qvòd eis præter prandium nil ferè deficiat.

XLIX. 6. Comites Palatinos creare, qvorum poteſtas conſiſtit in communicatione reſervatorum Imperatori ab eodem facta; ut ſunt (1.) Liberos naturales legitimare. Etſi autem hodie ſublato concubinatu non dentur veri naturales; ex conſuetudine tamen pro talibus habentur, nati ex iis, qvæ corpus non vulgarunt, ut ſi virgo vehementi amore ſubacta, amanti copiam ſui fecerit; talis enim non eſt meretrix, qvia coactè ſe proſtituit ex potentia amoris

l. 20.

l.20, C. ad l. Jul. d. adult. Nov. 74. c. 4. licèt ex vulgi opinione aliqvâ maculâ laboret; at in ſeriis non inhærendum eſt vulgi opinioni falſæ. Geniti ante feſtum nuptiale, ſed poſt ſponſalia, pro legitimis habentur, etſi parentes fortè ob mortem ſolennes nuptias per copulationem ſacerdotis non celebraverint, *Magnific. Dn. Carpzov. p. 3. conſt. 14. def. 12.* (2.) Minoribus veniam ætatis concedere, ut de rebus propriis diſponere, liberè cum aliis contrahere qveant, modò ne bona immobilia vel alienent vel obligent *l. pen. C. d. his qvi ven. ætat.* Sed miraberis lector, qvòd minor vel minimum prædium per ſe alienare non poſſit; ſeipſum ſuamq; libertatem alienare poſſit, cùm tamen ſervitus mortalitati comparetur, liberiq; hominis nulla ſit æſtimatio. (3.) Notarios creare, (4.) tutores confirmare (5.) ſervos manumittere &c.

L. 6. Academias erigere. Conſtat autem corpus academicum ex Profeſſoribus & Studioſis. Illi ſi officio ſuo probè fungantur, omni cultu & favore digniſſimi ſunt *l. 2. §. 35. d. O. J.* tum ob labores, qvos ſuſtinent ſæpè cum diſpendio vitæ & ſanitatis; tum ob commodum publicum, qvod promovent: nam juventutem informant, & faciunt, ut vita ſubditorum ad obediendum Deo & Magiſtratui informetur; ut Resp. viris literatis inſtauretur, qvi faciant religionis ſementem, Reges conſilio juvent, ſalutaria vitæ proponant. Studioſi ſunt, qvi ſtudiorum cauſa peregrinantur, vel in aliqva Academia habitant, & prævio ſolenni ritu depoſitionis & ſubſeqvente morum & ſtudiorum examine in matriculam Univerſitatis inſcripti ſunt: nam ſicut matricula militem *l. 10. C. 12. t. 58.* ita & Studioſum facit *l. 2. C. 12. t. 7.* Præſumitur etiam talis, ſi qvis in habitu Scholarium deprehendatur *c. 12. de ſent. excomm. in 6.* Unde qvilibet Studioſus honeſtè & decorè amictus incedere debet *arg. c. 16. c. 20. q. 1.* ut qvam artem profiteatur, exinde cognoſcatur, nam talis qvis præſumitur, qvali in habitu reperitur *l. 15. §. 15. d. injur.* A Studioſis excludimus eum, qvi per qvinqvennium ſtudiis abfuit, præſertim ſi ſe ad alia officia jam contulit. Item Scholares in Gymnaſiis & Scholis trivialibus degentes, eisq; ſtudioſorum privilegia denegamus *per l. 1. C. d. ſtud. lib. urb.*

LI. 7. Vectigalia imponere, eademq; pro neceſſitate Reip. (qvæ norma exactionum eſſe debet) augere vel minuere, ut tamen medio-

diocritas ſemper obſervetur: nam ubi nimis magna mercibus imponuntur vectigalia, ſeditiones plerumq; excitantur; econtra ſi intempeſtivè, qvæ pro utilitate impoſita ſunt vectigalia remittantur, juſtus metus erit, ne ceſſantibus ſubſidiis, neceſſaria in Republ. negligantur, qvod exemplo Neronis *docet Tacit. 13. ann.* qvi cum initio principatûs ſui cuncta vectigalia remitti juberet, Senatus ei, multùm prius laudatâ animi magnitudine, gratias egit, factum tamen disſuaſit, diſſolutionem Imperii docendo, ſi fructus, qvibus Respubl. ſuſtineretur, diminuerentur. Habebant autem Romani triplicia ferè vectigalia, ut (1.) Decimas frumenti, vini &c. qvas ex agris publicis percipiebant. (2.) Scripturam, qvæ ex paſcuis publicis ſolvebatur. (3.) Portorium, qvod ex mercibus importandis & exportandis ſumebatur. *Bodin. 6. de rep. c. 2.* præſertim tamen ex iis rebus, qvæ ad voluptatem & luxum pertinebant *l. 16. §. 7. d. publican.* non etiam qvæ in uſus proprios *l. 203. d. V. S.* vel ruris exercendi cauſa habebantur, *l. 5. C. d. vectigal.* At, qvò res hodie devenit! Nam pro eo qvod edimus, bibimus, vectigal præſtare, & ea, qvæ noſtra ſunt, qvaſi iterum emere cogimur, qvæ res vulgò dicitur, die acciſe / qvod pretia accidat, vel potius à Gallico Aſſiſe, qvod conſeſſum ſignificat, teloni enim plerumq; in ſuis teloniis conſident *Mindan. lib. 2. de proceſs jud. c. 42.* Et hæc ſunt illa vetera vectigalia propriè dicta, qvibus dies & ſagacitas ſemper aliqvid addiderunt. Sic Caligula leonum vectigal inſtituit, qvod hodie ſanctisſimus pater Papa canoniſavit, à ſcortis ultra 30000. coronatos annuatim pro lactis cenſu accipiens. Aliud urinarum vectigal Veſpaſianus Imperator inſtituit: alii pro umbra, pro aere captando, pro litibus vectigal exegêre, qvod damnatus causâ perdita ſolvere cogebatur, *Bodin. d. c. 2. n. 662.*

LII. 8. Collectam generalem indicere, à qvá nemo excipitur, neqvidem privilegiatus *arg. l. 18. §. 24. d. munerib.* niſi D. Penia eum liberet *Klocken de contribut. c. 13. n. 61.* Solent tamen boni Principes non tam indicere, qvam impetrare collectam, & qvidem ſub blandis appellationibus, relevii, auxilii, ſubſidii &c. *vid. Caſpar Klocken dict. tract.* ubi varios collectandi modos recenſet; apud Romanos hi ſeqventes præprimis in uſu fuêre, ut (1.) Capitatio, qvæ tamen poſtea à Conſtantino ſublata eſt *l. 1. C. d. capitat.* (2.) Contributio per æs & libram, i. e. pro viribus & qvantitate patrimonii, cujus æſtimatio-

nis

nis ratio non tam ex rei valore, qvàm ejus reditu & fructu deſumenda: nam tributum eſt onus fructuum, *l. 13. d. impenſ.* unde res, qvæ fructum non ferunt, tributis non gravantur, ut eſt pecunia ad uſus domeſticos reſervata *Mynſing. reſp. 1. n. 29. decad. 15.* Ornamenta, qvibus inanis pompa qværitur R. A. *de anno 1542.* §. Doch ſollen. Nomina, qvorum exactio deſperatur; interdum qvoq; belli calamitas, præbet remiſſionem collectarum *arg. l unic. pr. C. d. caduc. toll.* unde Afros lumine libertatis reddito. jubet Juſtinianus à tributis reſpirare *l. 1. §. 5. C. d. præf. prat. Afr.* (3.) Viceſima hæreditatum & legatorum extraneis relictorum, qvæ ab Auguſto introducta eſt *Dio lib. 55. d. bell. Rom.* Certè tributum cum gaudio & fructu conjunctum, nec grave pendentibus heredibus, qvippe qvod lætitia magni & inopinati ſæpè proventus obruat vel minuat ſenſum inferendi. Sed hæc viceſima, Juſtiniani ævò in uſu non fuit *l. fin. C. d. edict. D. Adrian.* (4.) Mancipiorum venalium viceſima qvinta, *Tac. 13. ann.* aliarum verò rerum centeſima *Lipſ. de magn. Rom. lib. 2. c. 4.*

LIII. 9. Ordines Eqveſtres inſtituere, *vide Caleſat. de eqveſtr. dignit.* Solennes nundinas concedere, *Beſold. 1 pol. 4. § 9.* Poſtas ſeu curſus publicos inſtituere. Dicimus autem poſtam qvaſi poſitum collatumq; certis in locis, & ſemper in procinctu excubantem, cui ſolent eqvi publico ſumtu ali, ut ſi qvid negotii ſubiti incedat mutatis celeriter eqvis, Princeps qvò vellet, mitteret, & ita qvid in qvocunq; principatûs ſui angulo geratur, exploratum habere poſſit.

LIV. Regalia Statibus communicata ſunt 1. Creare Magiſtratum, qvi tantò majori cum delectu conſtituendus, qvantò auguſtior eſt ejus dignitas & poteſtas. Jethro Madianites ejus rei cauſa univerſum populum qvaſi luſtrandum ſuggerit *Exod. 18. verſ. 20.* D. Apoſtolus (qvi ad cœlum tertium raptus erat, ut inter Angelos diſceret, qvod ille hominibus præciperet) monet, ex domeſtica qvoq; adminiſtratione probandum eſſe Magiſtratum. *1. Timoth. 3.* qvippe qvòd domum ſuam coërcere haud minus arduum ſit, qvàm provinciam regere. *Tacit. in agric. c. 7.* Poſſunt qvoq; mores eligendi probari ex functione minorum officiorum, dignitates enim non per ſaltum, ut qvi heri ſervus, cras ſit liber *l. 7. §. 2. d. injur.* ſed gradatim deferri debent *l. 11. d. munerib.* Qvod ſi plures reperiantur Candidati, virtute pares, præſtat eligere (1.) Invitum qvàm ambientem, qvi qværatur

cogendus, ſogatus recedat, invitatus effugiat *arg l.31.C.d.epiſcop.& cler.* Nam ex ſententiâ *Platon.lib.7.d.rep.* optimi ſunt gubernatores, qvos rogare, imò qvos cogere neceſſe ſit, aliis ut præſint; niſi fortè juſtum impedimentum electus alleget, propter qvod excuſetur, qvale tamen non eſt neglectus proprii commodi *Auth. res qvæ C. comm. de legat.* nam patriæ primum ac præcipuum jure naturali præſtandum eſt officium; qvod vitans, impius meritò dicitur *l.55. C.d.decur.l.1.C.10.t.57.* (2.) Scientem, qvàm literarum expertem, niſi & hic longævo rerum tractandarum uſu aliqvam ſibi comparaverit peritiam, qvâ ſciens literas, careat. *arg.l.17.C.d.judic.* Apage enim eos, qvi non niſi ex libris ſapiunt, nullo rerum uſu edocti; non ſemper ex corpore juris inter fluctus mundi ſe patitur regi navis Reip. qvoties uſus plus valet, qvàm Bartolus & Baldus; qvi qvantum ſciverunt, qvid ſit juris, tantum ignorârunt, qvid ſit ſeculi noſtri. *Dn. Mevius in comm. ad jus Lubec. lib.1. tit.1.n.40.* (3.) Divitem qvàm pauperem, præſumuntur enim divites patriæ amantiores, qvippe qvi ex ejus interitu plus perderent, qvàm pauperes, ut ita res, pecuniaq; familiaris obſidis vice apud Rempubl. eſſe videatur, amorisq; in patriam fides qvædam in ea & firmamentum. (4.) Nobilem qvam obſcurum *Nov.15.pr.* Nobiles autem non intelligo, qvi jactant materni abdominis inutile beneficium, magnæq; matris excrementa, ſed qvi genere & ingenio ſunt nobiles, *vid. ſupr. th.48.* Plebejos intelligo, qvi turpibus lucris aut vilisſimis artibus ſunt occupati *l. 6. C.d.dignitat.* Olim vilibus perſonis accenſebantur Apothecarii *l.12. §.3.C.12.tit.58.* Monetarii *l.6.C.de dignit.* Publicani, ſic dicti, qvaſi publici canes & latrones; erat enim hoc genus hominum rapacisſimum, unde Chriſtus apud Judæos ob commercium, qvod ipſi cum Publicanis intercedebat, malè audiebat. At hodie iſti omnes ſunt honeſtæ conditionis, cùm publicè interſit, fidos habere apothecarios, monetarios, publicanos. (5.) Originarium qvàm peregrinum *arg.c.7.d.præſumt.* Eſt enim naturalis amor boni domeſtici; exteros ſine pudore aut odio vix qvisqvam patitur ſuperiores, atq; ut nec fide aut affectu teneri judicamus *Tacit. in agric.* ita nec ſuam qvisq; iis obligat fidem aut affectum. Illud Patriotæ injurioſum videri poſſet, qvod munus Aſſeſſoris in patria ſuâ obire prohibeatur *l. 10. C.d.aſſeſſorib.* An qvia timetur, qvòd nullus Propheta in patria ſua

ſit

ſit acceptus? plerumq; enim exotica magis olent, & juxta verſiculum:

Uberior ſeges eſt, peregrino ſem[illegible] in agro
Externumq; pe[illegible], grandius uber habet.

teſtatur hoc exemplum Chriſti. Nonne, inqviunt, iſte eſt faber, filius Mariæ, frater Jacobi? nonne & ſorores ejus hîc? (6.) Legitimè natum qvàm ſpurium *l.3.§.2.d.decur.* etſi poſtea fuerit legitimatus: nam ratione natalium ſemper aliqva macula adhæret, nec propriè loqvendo poteſt ei dari teſtimonium, qvòd ſit ex legitimo concubitu aus einem ehelichen bette; Unde legitimati æqviparantur Alchimiæ, qvæ facit apparere, qvod non eſt. Minores aliis gerentibus adjungi ſalutare eſt, ut regere diſcant, ſed ut regant, judicii imbecillitas non permittit. Qvi ſe ingerere vult, prece vel precio, ad magiſtratum admitti non debet *l.31.C.d.epiſcop.Nov.8.* Olim tamen militiæ nonnullæ emi poterant *Nov.53.c.5.* Reus criminis poſtulatus, eligi non debet *l.1.C.10.t.58.c.4.d.accuſat.* nam ſi non patimur verrucas ab iis, qvi ulceribus ſcatent, reprehendi, multò minùs vitia à ſimilibus condemnari. Qvi ſemel officio diſcinctus eſt, ei jure non datur ad id vel aliud regreſſus. *l.12.C.10.t.70.* niſi gratioſa Principis clementia, qvæ ſibi manum claudi non patitur, reſumatur.

LV. 2. Cudere Monetam, qvâ poſt legem in Rep. nil magis neceſſarium, qvippe à qvâ dependet vigor commerciorum, facultates privatorum, nervus Reip. & actionum ſynceritas. *Bodin.6. de rep. c.3.* Unde olim populus Rom. in templo Junonis, & poſtea Imperatores nullibi niſi in ſuis tantùm monetis pecuniæ ſtudium freqventari voluerunt *l.2.C.d.falſ.mon.* Qvapropter cùm res eò perveniſſet, ut & privatis, minimisq; civitatibus jus monetandi concederetur. *Ordin.Monet.anno 1559. §.* Wo aber; hincq; multa incommoda in Rempubl. redundarent; ideò hodie in Capitulat. Imperator promittit, ſe ſine conſenſu Electorum nulli impoſterum Statui jus monetandi conceſſurum *Goldaſt. in act. imper. part. 2. anno 1519. Pauermeiſt. de Juriſdiction. 1. c 4. n.26.* Facta autem eſt moneta olim ex omni metallorum genere, ſed tandem communi gentium conſenſu electa eſt materia in metallis ſelectioribus conſiſtens, ut eſt, aurum, argentum, æs. Ex auro fiunt in imperio duæ ſaltem Monetæ ſpecies, Aurei ſcil. Rhenani & Ducati, qvos in locum veterum ſolidorum

 ſurro-

ſurrogatos eſſe, Dd. ſcribunt *Mynſing. in J. §. 5. d. Attil. tut.* Ex argento [illegible] Thaleri, à valle Joachimico ſic dicti, in qvo primùm ſunt percuſſi, vel à voce Adler/ tranſpoſita litera d. & a. Item thalerorum partes mediæ, ſextæ &c. Ex ære cuduntur albi witten/ crucigeri dreyer/ aſſes lubſchilling/ duplones düttichen/ aliaq; minuta moneta magis inventa ad commutandum nummos majores, ad largiendi occaſionem, aliarumq; rerum vilium æſtimationem, qvàm ad commercia exercenda aut debita notabilis ſummæ ſolvenda, unde is, qvi 1000. Thaleros mutuo dedit, non tenetur invitus pro iis de minuta moneta ultra 25. flor. in ſolutionem accipere R. A. zu Augſpurg *de anno 1559.*

LVI. 3. Contrahere fœdus, ut amicis armis tuos tueri, hoſtes terrere posſis, nam talem conſociationem inire licet, qvâ nos defendimus *arg. l. 4. C. ad l. Jul. de adult.* Magnâ tamen hîc opus eſt circumſpectione: nam fœdera cum nimis remoto, raro ſunt fœcunda; cum perfido, periculoſa, niſi idoneam cautionem ab eo exegeris *arg. c. 6. de præſumt.* ſine qvâ juri & pactorum obſervantiæ confidere, fruſtraneum eſt. Nunqvam enim hominibus defuturæ ſunt cauſæ, qvibus in fidem violatam colorem inducant, vel fraudi juris ſpeciem imponant; & hinc neq; tuta cum Pontificiis, neq; ſecura cum Turcis fœdera contrahuntur: Illi enim negant fidem hæretico ſervandam, & Papa arrogat ſibi abſolutionem à juramento. Turca autem omnia ex commodo ſuo metitur, an fidem ſervare expediat, qvaſi fides mercatoria ſit virtus, Regibus inconveniens; qvaſi hi ab armis, mercatores à fide pendere debeant. An ergò fœdera cum infidelibus inire non licet? Diſtingvo inter fœdera relligioſa, qvæ relligionis & Eccleſiæ defenſionem ſolam concernunt; & Politica, qvæ ſpectant pacem publicam civilem. Illa ſunt prohibita, etiam in caſu neceſſitatis, qvia legitima defenſio non eſt, qvæ fit modo & mediis lege divina prohibitis, *vid. 2. Corinth. 6, 14.* Politica fœdera ſunt licita (1.) ſi tendunt ad pacem mutuam conſervandam *Rom. 12. verſ. 18.* ut ſunt de finibus tuendis, de non offendendo, Exempla ſunt *Geneſ. 26, 29. & c. 31, 50. 2. Sam. 10, 19. Item in l. 2. C. de off. præf. Afr.* nec obſtat *Deut. 7, 2.* qvia illud mandatum de non pangendis fœderibus non fuit univerſale, ſed ſpeciale ad certos populos directum, qvos Deus ſingulari conſilio voluit deletos, ejusq; ſententiæ executores deſti-

deſtinavit Iſraelitas. (2.) ſi tendunt ad faciliorem commerciorum expeditionem, ſic David & Salomon cum Hyramo Rege commercii cauſa ſocietatem inivêre *1. Reg.5.* Nec obſtat, qvòd Joſaphat eo nomine graviter fuit reprehenſus *2.Chron.10,35.* Nam culpatur hoc fœdus non ſimpliciter & per ſe, ſed propter vitioſum accidens, nempe ex peculiari perſonæ qvalitate, cui ſe Joſaphat aſſociaverat *2.Chron.19,2.* Qvod ſi fœdera Politica fiant mutui auxilii ferendi, adeoq; hominis juvandi vel lædendi cauſa, refert an contra æqvè infideles, an contra Chriſtianos ineantur; illa ſunt in caſu neceſſitatis permiſſa, ſic Abraham impios Sodomitas bello adjuvit contra Perſas *Gen.14,13.* Hæc non æqve: unde Carolus V. non immeritò conqveritur de fœdere contra ſe à Franciſco Galliarum Rege cum Turcis inito, *Schonbornpol.4.c.36.* At qvid, ſi cum diverſæ religionis hominibus, ut cum Calvinianis contra Pontificios, fœdera ineantur? Diſtingvo, an pugnetur pro ſola religione, an ſimul pro libertate totius imperii. Illa licita eſſe nego per *ſuprà allegatum textum 2.Corinth.6,14. adde c.22.x.16.q.7.* Hoc caſu fœdera licita eſſe puto. Sic Rex Joſaphat cum Joramo diverſæ religionis Rege contra Moabitas fecit, nec propterea reprehenſus legitur *2.Reg.3,7.* Ex hoc principio orta eſt pacificatio Paſſavienſis. *de qvâ ſupra th.31.*

LVII. 4. Mittere Legatos, qvorum nomen ſanctum & inviolabile apud ipſos etiam barbaros habetur. Hactenus tamen (1.) ſi conſtet eos eſſe legatos, qvod ſignis vel literis Credentiæ probandum; ſic olim ſagmina i. e. gramen cum ſuâ terra evulſum, legati portabant in ſignum ſecuritatis. (2.) ſi legatum, non proditorem ſeſe oſtendat, nihilq; hoſtile moliatur; nam talis curioſitas vitanda, nec convenit alieni regni arcana ſcrutari *l.19. in fin. de novat. l.4. C. d. commerc.*

LVIII. 5. Recipere Judæos: nam niſi Judæi recepti ſint, in imperio tolerari non debent, partim ob ſummam eorum neqvitiam & pravitatem in emendis & occultandis rebus furtivis &c. *c.12. c.18.d. uſur.* partim ob ingentes blaſphemias, qvas in Chriſtum & Chriſtianos impudenter eructant: uti ex libro, cui titulus eorum lingvâ Nizaon, ſatis patet. Cæterùm qvibus in locis recepti ſunt Judæi, ſi pacificè vivant, *l.6.C.d.pagan.* nec blaſphement *c.15.d.Judæ.* eodem jure nobiſcum utuntur *l.8.C.eod.* legata ex teſtamento conſeqvi, & de-

curiones fieri poſſunt *l.3.§.3.d.decur.* Ab honoribus tamen arcentur *l.19.C.d.Judæ.* & ad differentiam Chriſtianorum flavo ſuper veſtem annulo uti debent R.A. *anno 1530.* von Judenkleidern.

LIX. 6. Pœnam capitalem remittere, ſi tamen urgens cauſa, ut publica lætitia vel utilitas, adſit. Exempla ſunt *in l 5.§.7.C.ad l. Jul. majeſt.l.1.C.d falſ.mon Auth.novo jure C.d.pœn.jud.l.5.§.8.d.re milit.* Et hæc maximè obtinent, ſi pœnæ fuerint ll. civilibus definitæ; ſecus ſi jure divino, in qvibus veniæ locus non eſt, idq; ob præceptum Dei graviſſimum *Deut.13,8.* & exempla graviſſimè punitorum ob gratiam aliis factam *1.Sam.15,20.& 1.Reg.20.* Nec refert diſtingvere, an mortem promeritus ſit nobilis *arg.l.8.C.d.epiſc.& cler.* vel de Republ. benè meritus, an non, ne ſub ſpecie meritorum & virtutis impunè graſſari liceret. Qvæſtionis circumforaneæ non eſt; ſi Princeps Reo impunitatem delicti promiſerit ad eliciendam confeſſionem, an nihilominùs eum condemnare debeat ex confeſſione factâ ſpe impunitatis promiſſæ? Diſting. Aut reus eam confeſſionem revocavit, fortè qvòd de fide ſibi data dubitare incipit, & tunc non puniendus eſt; qvia revocatio oſtendit eam confeſſionem potius ſpe impunitatis, carcerisq; evitandi gratiâ, qvàm pro rei veritate factam eſſe. Aut reus eam reiteravit, & ſic ordinariè puniendus, qvia reſpicitur non ad confeſſionem ſpe gratiæ promiſſæ factam, ſed ad perſeverantiam & repetitam confeſſionem. Aut eam neq; revocavit, neq; confirmavit & tunc arbitrariè, non verò capitaliter puniendus, ne alii ad ſimilia revelanda de fide Principis vel Magiſtratus deſperantes, deterreantur *arg. l.24.§.1.de minorib. Coler.de proceſſ. exec.p.4.c.1.n.33.*

LX. 7. Securitatem ſeu ſalvum conductum concedere Reis criminum, ad deducēdam eorum innocentiam, ſi in loco judicii comparere verentur; ſub qvâ conceſſione non tantum liber aditus, ſed & receſſus tutus etiam per intermedia loca, comprehenditur, etſi verbis id non ſit expreſſum *l.5.d.ſepulchr.viol. arg.l.111.d.V.O. Modeſt. Piſtor.conſ.49.n.7.vol.2.*

LXI. 8. Armandias habere, Zeughäuſer halten/ Collectam Provincialem exigere. Inducias mercatorias concedere: ſed qvia homines, qvi eas petunt, non ſunt unius generis, cautio adhibenda eſt, ne dignus & indignus pariter ablativum adſciſcant: qvidam enim fortunæ

tunæ vitio pàuperes facti ſunt; qvidam ſuo ſibi jumento paupertatem accerſunt, qvod etiam fit, ſi qvi faciles ſunt in fidejubendo; æs alienum contrahendo ſperantes ſe lucraturos negotiando; negotiationes amplas ſuſcipiendo, qvibus poſtea ſufficientes non ſunt &c.

LXII. Moribus inter Regalia referuntur (1.) Venatio, qvæ qvidem jure Gentium libera & communis *§. 12. J. de R. D.* poſtea verò ſenſim limitata eſt, vel in certis feris capiendis, vel in perſonis, qvibus facultas venandi ſingulariter data vel negata eſt: qvo jure, qvave injuria? puto, ſupesioritatis jure pacisq; publicæ ſervandæ cauſa. (2.) Tituli eminentiores, ſicut talia hyperbolica, & tantum non impia elogia Imperatores olim ſibi tribuerunt, ut, noſtra divinitas *l. 3. §. 1. d. ſum. Trinit.* perennitas *l. 7. C. 11. t. 7.* cœleſte ſtatutum *l. 10. C. eod.* oraculum *l. 10. C. d. SS. Eccleſ.* divinæ numinis aures *l. fin. C. d. adqvir. poſſ.* divinum os *l. 1. §. 6. d. J. V. E.* adoratio æternitatis principalis *l. 2. C. 11. t. 9.* qvæ divinæ appellationes Principibus aptatæ ſunt, non ut Deo æqviparentur, ſed officii ſui moneantur à Deo dati. Aliam rationem habet Thabor *de metat. p. 2. c. 3. n. 11.* Hodie audit Imperator Monarcha mundi, Rex Galliæ Chriſtianisſimus, Rex Hispaniæ Catholicus. Attamen ex titulorum ſplendore non ſtatim de ipſa potentiâ judicandum. Nam & olim Cæſares ad conciliandos ſibi homines, invenerunt dignitates honorarias, nudum eis titulum, non adminiſtrationem tribuentes, ut ſcil. titulis ſplendidi, (nam tituli nullo conſtant pretio, titul koſten kein geld) ſed invalidi eſſent. (3.) Inſignia memorabilia. Sic olim Magiſtratûs Romani inſignia erant ſecures atq; faſces, qvales Præſidi qvinqve, ſex Prætori & Proconſuli Conſuli bisſex, Dictatori qvatuordecim, à totidem lictoribus non gregatim, nec item binis, ternis, ſed ſingulis in lineam euntibus, ut ſubmoverent occurrentes *Liv. lib. 6* Imperatoris inſigne eſt Aqvila nigra biceps; vel duæ aqvilæ alis expanſis dorſa juncta habentes, qvæ Qvintilio Varo ab Arminio Principe cæſo ſunt ereptæ. Regis Galliæ ſunt 3. lilia. Sueciæ 3. coronæ tribus coronis & leo leoni oppoſitus. Angliæ 3. leones. Poloniæ aqvila alba coronata. Interdum & Pontifex nova inſignia mittit; huic vexillum ridiculis geſticulationibus conſecratum, clavibus Petri aut gladio Pauli inſignitum; illi enſem benedictum, totq; ridiculis misſificationibus & geſticulationibus conſecratum, qvalis gladius Duci Albano donatus

eſt

eſt *Meterran. ſub eod.* (4.) Habitꝰ ſingularis, qvalis eſt purpura regium illud ornamentum *l. unic. C. d. veſtib. boloſ.* ruber pileus inſigne Cardinalium, Tiara Epiſcoporum, Pallium Archiepiſcoporum, Tiara cum triplici corona, qvæ Pontificum eſt (5) Prærogativa in ſesſione & inceſſu, in qvâ aſſerendâ Reges ſæpè adeò ſunt Studioſi, ut cauſæ ſuæ potiùs periculum creari ſinant, qvàm digitum latum alterius dignitati cedere velint; nam plus in dedecore, qvàm dolore mali putant eſſe. Monſtrant hoc conflictus Galli & Hiſpani, Archiepiſcopi Colonienſis & Abbatis Fuldenſis &c.

LXIII. Sed ut deniq; finem juris publici faciamus, breviter qvibus modis Imperii majeſtas amittatur, diſpiciendum; ut enim omnium rerum, ita & regnorum ſua eſt mortalitas, creſcunt, decreſcunt, inſtar maris, qvod nunc ſucciduis attollitur incremẽtis, nunc naturali damno ſubducitur; nec qvidqvam in humanis perpetuò viget; videas qvasdam Reſpubl. momento exciſas divinitùs, qvasdam vetuſtate ac ſenio ſuo tabeſcere, alias hoſtili impetu cecidiſſe, plerasq; verò diſcordiâ civili ac ſuo pondere ſubverſas, cujus rei exempla recentia in promtu eſſent, niſi eorum mentio odioſa, dann es ſeyn der Knechte viel/die ſich von jhren Herren reiſſen/ *1. Sam. 25, 10.* Tantum de jure publico.

LXIV. Revertimur ad jus privatum, qvod triplici ex fonte collectum eſſe ait Imperator, nempe ex jure Naturali, Gentium & Civili. Jus Naturale eſt, qvod natura docuit omnia animalia, non qvidem mediante ratione, ſed naturali tantum inclinatione ſeu inſtinctu, *vid. th. 15.* Exempla hujus juris ſunt (1.) Maris & fœminæ conjunctio, qvam nos matrimonium appellamus, de qvo plura apud Dd. pasſim reperire licet (2.) Liberorum procreatio, de qvâ non opus eſt aliqvid dicere, ſiqvidem materiæ hujus argumentum eſt ejusmodi, ut ſeipſum cuilibet tacito naturæ ſenſu atq; inſtinctu commendet. (3.) Liberorum educatio, nam meritò, qvi cauſa eſt, ut homo exiſtat, ei qvoq; proſpicere debet de his, qvæ ad vitam neceſſaria ſunt, unde alimentatio dicitur debitum naturale, ad qvod pater filium generans, ipſo facto ſe videtur obligare *arg. c. 8. d. conſecrat. eccleſ.* niſi liberi ſe jam commodè alere posſint, vel niſi ſint improbi *l. 5. d. adgnoſc. lib.* Qvid ſi ſint inceſtuoſi? dico eos alendos. Jus civile enim non vult necandos eſſe inceſtuoſos, qvod utiq; voluiſſet, ſi omnem alimenta-

tio-

tionem prohibuiſſet *l 4.eod.* taceo qvòd legiſlator hunc naturalem inſtinctum jure prohibere non poteſt *arg. l.8. d.R.J.* unde nec liberis interdictum eſt, parentes alere inceſtuoſos *Nov.12.c.2.* (4.) Sui defenſio: naturâ enim omni animantium generi tributum eſt, ut ſe vitamq; ſuâ tueatur: novit, qvæ pars ſui infirma ſit, qvæ valida; illi cavet, hac utitur ad tutelam: ſic Vitulus nondum enatis cornibus eâ parte minatur, & eqvuleus nondum firmatis ungulis calcitrat, & catellus nondum robuſtis dentibus morſicat. Homini qvidem arma non ſunt agnata; eſt nudus & fragilis, ſed apta ei manus eſt parandis ac tractandis armis, qvibus ad vim inferendam vel illatam propulſandam, cominùs vel eminùs adverſus hoſtem uti poteſt; an etiam contra Patrem vel Principem injuſtè vim inferentem? Nego pater enim qvamvis impius ſit, tamen pater eſt *d.Nov.12.c.2.* & ideò filius fortiter potius mortem perferre debet; qvàm ei vitam eripere, à qvo lucem poſt Deum accepit. Idem ſuadeo ſubditis, tum propter exemplum Davidis, qvi manum Sauli tanqvam uncto Domini, licèt Regi impio, ſibiq; lethaliter infeſto, inferre piaculum duxit; tum propter damnum publicum; ob unius enim civis ſalutem, regnum capite, Rempubl. ſponſo viduare, fas nō eſt, unde maxima ſeqvitur confuſio.

LXV. Jus Gentium eſt, qvod apud omnes gentes vel ſaniores ſaltem omnes peræq; obſervatur: eſt enim ſapientum animus naturæ conformis, & ut Ariſtot. ait *pol.1.c.5.* qvid naturale ſit, ſpectandum in his, qvæ benè ſecundum naturam ſe habent, non in depravatis; qvorum perverſæ mentes, corrupti mores legem naturæ infringere non poſſunt, qvò ſpectat illud priſcorum Gallorum inſtitutum, apud qvos furta laudi fuerunt habita; ut & Taxillorum, apud qvos virgo inops nuptura, cum tubâ & claſſicis in forum prodibat, & veſte ante & pone ad humeros usq; elevatâ, maritum è cœtu eligebat pro lubitu. *Munſter. Coſmogr. lib.5. c.71.*

LXVI. Jus Gentium docendi cauſa diſtingvitur in primævum & ſecundarium. Illud eſt, qvod homo novit à naturâ ſtatim ſine diſcurſu rationis, ſicut apis mellificationem, eidemq́; ſine ullâ probatione aſſentitur & definiri poteſt, naturale rationis noſtræ judicium ſeu dictamen qvo per lumen nobis ab æternâ lege impreſſum evidenter cognoſcimus ea, qvæ honeſta ſunt, facienda, qvæ turpia, fugienda eſſe. Exempla juris Gentiū primævi ſunt (1.) Religio erga Deum; nam apud omnes

gentes, modò ſint ſanæ mentis, prima hæc lex eſt, ut Deos veneremur *Xenoph.* Unde Athenagoras ſcribit, prorſus negare, qvòd ſit Deus, omnes Ethnici impium judicârunt, & Ariſtot. *1. Top. c. 9.* vult, non verbis, ſed plagis refellendos eſſe, qvi Deum eſſe negãt. (2.) Pietas in patriam, qvæ nemini non dulcis eſſe debet *l. 101. de legat. 3.* adeò ut pro patriâ redimendâ filius etiam patrem proditorem interficere *l. 35. d. religioſ.* patriæq; magis qvàm parentum defenſor eſſe debeat *l. 19. §. 7. d. captiv. & poſtl.* Ita Manlius Torqvatus ob violatam diſciplinam caſtrorum, filiũ virgis & ſecuri ferire juſſit; ſatius eſſe judicans patrem forti filio, qvàm patriam diſciplinâ militari carere *Liv. lib. 8.* (3.) Ut parentibus pareamus; ſunt enim inter homines, qvaſi Dii, parentes, qvi nunqvam nimis curari poſſunt, qvos non amare, impietas, non agnoſcere, inſania eſt; qvare qvi nunc filii ſunt, debent ſtudere parentum animos ſanare, qvia & ipſi parentes fieri deſiderant, & optant à filiis ſuis honorari *Nov. 115. cap. 5.*

LXVII. Cæterum qvia non ſolet, nec poteſt ob corruptam naturam humanam, totum jus naturæ approbari, inde fit, ut qvoddam jus naturæ ſit approbatum, qvoddam liberum relictum, qvoddam verò reprobatum. Jus naturæ approbatum dicitur, qvod Princeps vi coactivâ donavit, addendo ei aliqvem effectum, ut actionem vel exceptionem. Actionem dat omnibus obligationibus ex contractu vel delicto deſcendentibus. Exceptionem dat pactis, nõ qvidem jus civile ſtrictum, ſed prætorium, qvod mitius & indulgentius jure civili; nam prætor qvaſi miſertus fidei humanæ, qvæ in nudis pactis vacillabat, ſuccurrere iis voluit, non qvidem actionem dando regulariter, ſed exceptionem *l. 7. § 4. d. pact.* Sed anne de jure Canon. actio detur ex pacto? Nego *arg. c. 1. d. pact.* ubi pœna non ſervantis fidem pacti conſtituitur excommunicatio, cui pœnæ tum demum locus eſt, cùm ordinarium deficit remedium *c. 13. d. judic.* Nec obſtat rumpere fidem, eſt peccatum, qvod hoc jus prohibet; qvia non ſeqvitur; jus naturale vel divinum providet contra peccatum, ergò datur ex illis actio; nam ex illis juribus obligamur ſaltem de honeſtate & pudore, & ad maximum conſcientia, non verò de neceſſitate ſeu coactione. Jus Naturæ liberum relictum eſt, qvod ſervare vel negligere cuiq; permittitur citra aliqvam coactionem; ſic jus naturæ qvoad hoſpitalitatem, beneficentiam, liberalitatem &c. eſt liberum relictum: talis qvoq; eſt obligatio ad ἀντίδωρα;

nam

nam etſi natura tacito qvaſi genio nos doceat beneficiarios benefactoribus obligatos eſſe *l. 25. §. 11. de petit. hered.* nulla tamen ingrati actio (excepto caſu *l.7.C.d.revoc.don.*) legibus eſt conſtituta *Frantzk exerc.9. q.1.n.15.* fortè, qvòd optima pars beneficii pereat, ſi actio ingrati, ſicut certæ pecuniæ, aut ex conducto detur *Senec.lib.3.d.benef.c.6.* Jus naturæ reprobatum eſt, qvod publici boni gratia eſt rejectum, & cõtrarium tanqvam magis Reip. ſalutare receptum. Sic pupillus ſine tutore ne qvidem naturaliter obligatur; qvia obligatio naturalis, qvæ tantum in pudore & honeſtate conſiſtit, non eſt vi coercitivâ confirmata, ſed potiùs infirmata, ideoq; nulla necesſitate ſtringit, nec juris effectum habet, niſi vel pupillus locupletior fuerit factus *l.1.de contr.tut.act.* vel ex re obligatio veniat *l.46.d.O.& A.* juxta qvam explicari debet *l.25.d fidejuſſ.* vel doloſè verſetur in contractu *l.1.§.15. depoſit.* vel non de pupilli ſed alteriùs damno & præjudicio agitur; tunc enim ad onerandos illos obligatio pro efficaci habetur; Exempla ſunt *in l.1.de novat.l.35.de recept.arbitr.l.25.fidejuſſ.l.fin.de jurejur.l.44.l.95.§.2.d ſolut.* Hinc maritus uxori ſuæ donare prohibetur, nam qvia fœminæ ſunt avaræ, & faciliùs oſcula, qvàm munera dare ſolent *l.16.C.d.donat.ant.nupt.* vir malè audiret apud uxorem, ſi non qvotidie ipſi donaret.

LXVIII. Porrò à Dd. Jus naturæ dividitur in Poſitivum & Negativum. Illud eſt, qvod ad diſcrimen honeſtorum & turpium pertinet; eſtq; immutabile, qvamvis in applicatione, cùm duæ vel plures naturalis æqvitatis regulæ concurrunt, ſæpè fiat, ut magis ſimplices & abſolutæ vincantur ab iis, qvæ circumſtantiis reſpondent, & qvod jus inferius eſt, cedat præceptis ordinis ſuperioris. Sic qvia natura prohibet deſidiam, licet aliqvando cum alterius damno locupletari, modò fraus abſit *vid.ſupra th.21.* Sic qvia meliùs eſt in ſervitutem detrudere, qvàm vitam adimere, optimo jure eſt ſervitus introducta; nec urget, qvòd ſervitus juri naturæ repugnet; nam poteſt aliqvid eſſe contra naturam, & tamen ex naturali ratione proficiſci *Anton. Fab. ad l. 4. §. 1. d. S. H.* Aliud exemplum eſt *in l.31.§.1. depoſit.* qvod benè explicat Oldendorp. *de jur. & æqvitat.tit.5.* Jus Negativum eſt, qvòd ſtatum naturalem, vitæq; commoditates reſpicit, ut, qvod omnes homines ſunt æqvales, pariter liberi, pariterq; ingenui *Nov.89 c.1.* qvod omnia ſunt communia, ita ut cuivis undecunq; ſumere & occupare liceat, qvantum ad ſuos uſus ei neceſſe ſit. Hoc jus mutari poteſt.

LXIX. Jus Gentium Secundarium eſt, qvod non directò fluit ex connatis naturæ principiis,ſed per ratiocinationem ad utilitatem ſocietatis humanæ, Gentium placito excogitatum & receptum eſt, non qvidem per expreſſam ſanctionem, qvaſi gentes in unum aliqvando convenerint, hancq; ſanciverint juris ſpeciem, ſed uſu ac tacito populorum conſenſu.Exempla hujus juris ſunt (1.) judicia, (2.) bella,ſervitutes &c. Nam cùm olim ante legem poſitam,qvilibet evaginato gladio ſibi jus diceret, alterum ſpoliando, turbando,enſem vel clypeos,ſi Nobiles,aut ſævos tridentes,ſi ruſtici eſſent,pro libellis offerendo,unde majoris ſæpè tumultûs occaſio oriebatur *arg. l. 6 C. de vi publ.* ideo pro litium remotione pacisq; conſervatione, judiciorum reperta eſt via & ſacra reverentia, ut nil manu, nil proprio agatur impulſu, ne à bellica confuſione pax tranqvilla nil diſtaret, ſi per vim litigia terminentur *l.13.qvod.met.cauſ. Caſſiodor.lib.4.var.* Nam cur Prætor ad arma procedere patiatur,qvos ſuâ jurisdictione compeſcere poteſt *l.13.§.3.de uſufruct.* Qvod ſi qvi ſunt validiores,qvàm qvod judiciis coërceri poſſint,armis & imperii ſtimulis ad obſeqvium redigendi ſunt. Nam qvid legibus ibi opus, ubi legionibus res futanda? ubi nulla niſi in armis ſpes relicta eſt? unde rectè *Thucyd. lib. 1.* qvod judicium eſt erga illum, qvi illi paret; hoc bellum eſt erga non comparentem.Bella igitur ſunt juris Gentium 1. qvatenus ſunt modus exigendi, qvod nobis debetur. 2. qvatenus certa bellorum forma,certiq; effectus hoc jure introducti ſunt,ut qvod bellocapta fiunt capientis;qvòd victus victori ſervire debet.Etſi autem ſervitutes poſtea Chriſtianus orbis ob atrocitatem dominorum antiqvarit,tamen ſi eæ cum modo & humanitate temperatæ eſſent,multum id Reipubl.expedire putarem,nec tot crucibus & patibulis opus eſſet ad coërcendos illos facinoroſos,qvibus præter libertatem nihil eſt niſi egeſtas,qvæ illos ad patrandum ſcelus impellit. Germaniam noſtram nunqvam agnoviſſe veram ſervitutem, qvalis apud Romanos fuit,ex Tacit.probat *Zaſius 1.reſponſ.c.1.n.36.*qvandam tamen imaginem ſervitutis hodie habemus in hominibus propriis ſelbeignen Leuten. Hi enim etſi ratione ſtatûs ſint liberi,nam ſibi acqvirere,in judicio ſtare &c.poſſunt; ſervi tamen terræ *l.1.C.u.t.51.* & tanqvam pars fundi exiſtimantur, in eoq; manere coguntur *l.22.C.d.agricol.* adeò ut ſi ipſi vel eorum liberi *d.l.22.§.1.*aufugerint,nullo tempore libertatem præſcribere, ſed inſtar ſervorum celeri proceſſu vindicari qveant *l.14.*

C.eod.

C.eod. Ex hoc jure(3)contractus introducti ſunt,exceptâ ſtipulatione & nominum obligatione,qvippe in qvibus certa ſolennitas reqviritur; at jus naturæ vel gentium nullam deſiderat verbòrum ſolennitaté vel ſcripturam, ſed ſimplex ibi ſufficit conſenſus, ut obligatio naſcatur *l.1. d.pact.l.1.de conſtit.pec.* (4.) Teſtamenta,qvatenus ſunt nuda de bonis ordinatio, nullis legum ſolennitatibus determinata *Eſai. c.38.* qvalem teſtandi libertatem ne ſummus Princeps tollere poteſt *arg.l.1.C.d.SS. Eccleſ.* De Germanis refert *Tacit.lib.de German.* qvòd uſum teſtamentorum ignòrârint;ſed illud non tam ignorantiæ literarum(qvamvis pleriq; Germanorum pilum magis qvàm ſtylum, bipennem qvàm pennã verſarint)qvàm gentis candori & integritati adſcribendum eſſe puto; qvia ſcil.iniqvum judicavit,legitimam portionem furtiva qvaſi manu auferre iis, qvos natura & ſangvis ad ſucceſsionem vocat. (5.) Dominia;nam cùm rerum communis uſus eſſet contra pacificam converſationem,ideò ſuaſit jus Gentium dominiorum diſtinctionem introduci, ut qvod qvisq; occupâſſet, id proprium ejus eſſet, nec alter ipſi auferre poſſet: nam dominio introducto qvilibet poſſeſſor obligatur ad rem domino reſtituendam,etiam cum fructibus,adeò ut qvi rem alienam invenit,nec pretium inventionis â domino petere posſit.(6)Hoc jure ædificia ſunt collata, urbes formatæ &c. de Germanis dubitatur, an urbes ab initio habuerint? Qvod negat *Tacit.ſub fin.de Germ.* nec aliud,inqvit,infantibus ferarum imbriumq; ſuffragium, qvàm ut in aliqvo ramorum nexu contegantur,huc redeunt juvenes,hoc ſenum receptaculum. Habuiſſe tamen domos parietibus tectoq; factas arguitur ex Tacit. verbis illis: Germanos ne pati qvidem inter ſe junctas ædes,notum eſt, colunt diſcreti ac diverſi,ut fons,ut campus,ut nemus placuit; vices locant non in noſtrum morem connexis & cohærentibus ædificiis; ſuam qvisq; domum ſpatio circumdat &c.

LXX. Jus civile eſt, qvod qvælibet civitas ſibi conſtituit propriæ utilitatis cauſa; verum enim juris civilis fundamentum non in utilitate communi, ſed in particulari alicujus civitatis vel Reipubl. conſiſtit. Exempla ſeu potius objectum hujus juris ſunt actus indifferentes,qvi anteqvam jure vetantur vel præcipiuntur,per ſe neq; boni neq; mali ſunt,opinione tenus tamen,i.e.non ex certa naturali,univerſali, ſed probabili qvadam ratione,tales effici poſſunt; & ideò hoc jus proprium non eſt ex ſe juſtum; ſed ex voluntate & arbitrio hominum, ut

 qvia

qvia legiſlatori ſic placuit; at nec ſemper, nec ubiq; apud omnes juſtú eſt, ſed tantùm apud certum populum; imò qvod hodie eſt juſtum, cras poteſt eſſe injuſtum, ſc. opinionetenus; id qvod elegantisſimis verbis docet *A. Gellius lib. 20. c. 1.* Legum ait, oportunitates & medelæ pro temporum rationibus & Rerumpubl. generibus, & utilitatum præſentium rationibus, vitiorumq; qvibus medendum eſt, fervoribus, mutandæ atq; flectendæ ſunt: neq; hæc eſt inconſtantiâ appellanda, ſed potius ſapientia magna, ea qvæ perperam definita ſunt, in melius revocare *can. 10. c. 22. q. 4.* dummodò parcè omnia mutentur, ut qvia urgens utilitas vel neceſsitas id ſuadeat; crebris enim legum mutationibus facilè dignitas & authoritas illarum labefactatur; imò legum commutatio ſæpè ſtatûs ipſius mutationem ſecum fert, vel intervertit, qvod ferè in unicâ l. Agraria accidiſſet; nec ſine cauſa Locrenſes illius collo, qvi novam legem ferre conabatur, injecêre.

LXXI. Jus civile efficitur, qvoties vel additur vel detrahitur aliqvid juri naturæ; nam qvia jus naturale eſt ſimplex, & paucis præceptionibus contentum, nec omnibus humanis negotiis ob corruptos affectus ſufficere poteſt, ideò jus civile has naturales notitias latiùs extendit, format & applicat ad humanas functiones, easq; ſemper velut Theſei filum in maximo labyrintho obſervat, qvod innuunt etiam juris noſtri conditores, cùm rationem naturalem qvaſi legem tacitam adducunt *l. 7. de bon. damnat.* cùm naturæ votum allegant *l. 7. und. lib.* cùm ajunt, hoc æqvum eſt natura *l. 14. d. condict. indeb.* cùm mitigandi, vel corrigendi juris civilis cauſâ edicta proponunt, qvale eſt favorabile illud edictum de Reſtitutionibus in integrum, qvod S. Sanctus poſuit in ore prætoris qvaſi vocem Dei ab homine prolatam &c. Ex qvo porrò ſeqvitur, ut ſi lex in totum à naturali ratione recedat, non ea lex, ſed tyrannis ſit, uti eſt jus Albinagii in Galliâ, de qvo *Arniſæ. de jur. maieſt. lib. 3. c. 6. n. 20.* E diverſo, ſi lex per omnia ſerviat naturæ, tunc non civilis evadet, ſed naturalis manet, qvia ſola approbatio ſeu confirmatio non efficit jus civile, niſi acceſſerit reformatio, i. e. niſi aliqvid juri naturæ addatur vel detrahatur, qvod qvomodo fiat, exemplis declarabimus. Jure Gentium valet teſtamentum coram duobus teſtibus; at jus civile reqvirit ſeptem; nec obſtat, qvod Papa Alexander III. voluit duos vel tres teſtes ſufficere *c. 10. d. teſtam.* ob regulam divinam, qvæ dicit in ore duorum vel trium conſiſtere omne verum; nam ℞. qvòd lex divi-

divina præſupponat hominum ſynceritatem; at ubi falſitatis ſuſpicio ſubeſt, nó vetat plures teſtes à legislatore reqviri, ut veritas perfectius habeatur. Jure Gentium qvivis poteſt eſſe teſtis; at jure civili prohibetur mulier in teſtamento, non ob ſexûs fragilitatem, qvia hæc ratio nimis generalis prohiberet etiam in criminalibus teſtimonium ejus interponi, ſed qvia ſolemnium capax non eſt *arg. l.21. C. d. procurat.* & ideò in teſtamento minùs ſolenni, vel codicillis, mulier teſtis eſſe poteſt. Sic commercia ſunt juris gentium, nec ſine illis vita noſtra conſtare benè poteſt, unde qvi iſta turbat aut tollit, humanam ſocietatem lædit, naturam deniq; ipſam violat & cauſam de injuſtitiâ conqverendi ſuppeditat; tamen ob ſingularem cauſam libertas commerciorum impediri vel reſtringi poteſt, puta, ne merces ad barbaros exportentur *l.4. C. d. commerc.* ne Nobiles mercimonia exerceant.

LXXII. Ex his ergò tribus generibus & cauſis, nempe Jure Naturali, Gentium & Civili, concinnatum eſt jus noſtrum Romanum, qvo eqvidem poſt volumina ſacra nihil elegantius unqvam prodiit. Omne enim aliud jus, *inqvit Cicer lib.1. de orat.* præter noſtrum, penè ridiculum eſt & inconditum; & *Duaren.* ait, hujus juris cognitionem eſſe neceſſariam qvoq; iis, apud qvos hoc jus non eſt receptum, ſed patriis LL. reguntur, ut de ſuis legibus posſint rectiùs judicare. Verùm ſicuti omnis ſcientia ſuos habet oſores & roſores, ita & noſtra jurisprudentia; ſunt enim, qvi dicunt, (1.) Imperatorem fuiſſe atheum. (2.) Tribonianum leges ſæpè interpolaſſe. (3.) ipſas LL. ſibi invicem non conſtare, multa in iis contraria, ſimilia eſſe poſita. (4.) legum rationes partim ad ornatum ſaltem ſpectare, partim bis idem inculcare, partim à materiâ planè alienas eſſe, aut deniq; tales ut rationem in ratione deſideres, exempla ſunt *in l.3. d. off. procur. Caſ. l.4. §.3. d. tutel. & rat. diſtrab. l.24. §.1. d. pign. act. l.14. d. reb. dub. l.178. d. V. S. l.28. d contrab. emt.* Deniq; (5.) ipſum Imperatorem jus civile juri Canon. ſubjeciſſe *Nov. 83. c. 1.* Sed Rℓ. ad 1. Imperatorem fuiſſe religioſisſimum, evincunt ejus Conſtitutiones, qvas plerumq; invocato Dei auxilio orditur, item, qvòd ſe ultimum Dei ſervum profitetur *l.1. C. d. offic. præf. Afric* ab eoq; ſibi traditum eſſe imperium *Nov.28. c.4.* Ad 2 Rℓ. qvòd Juſtinianus Triboniani laborem nunqvam improbaverit, qvare de eo non niſi honorificè loqvi Doctoribus licet, qvippe qvi per ejus immortale juris opus, propter illud, & ex eo ſubſiſtunt & ſuſtentantur *Beſold. ad lib.1. ff. in præcogn.*

ib.11.

th.11. Ad 3. ℞. qvòd propter antinomias aut ſimilitudines qvasdam malè ducatur argumentum ad ipſas LL. tollendas. Cæterùm dari antinomias in jure, non dubito, cùm & ipſe Juſtinianus timidè ac diffidenter omninò omnes neget contradictiones, *vid l. Deo §. 4. d. concept. ff. & l. dedit § 15. d. J. U. C.* Sic etiam Juſtinianus *in d. l. Deo. §. 4.* dixit, nullam in jure ſimilitudinem eſſe relictam; at qvot qvæſo ſimilia! imò eadem hinc inde! *confer l. 6. cum l. 18. de re judic. & l. 4. d. pignor. cum l. 4. de fid. inſtr. & l. 51. C. d. epiſcop. & cler. cum l 29. C. d. pact. & l. 15. C. d. epiſcop. aud. cum l. 8 C. d. poſtul. It. l. 6. C. de nupt. cum l 65. §. 1 ff. eod.* Sed qvid hoc mirum! in aliis diſciplinis ſunt contraria, ſunt ſimilia, qvi ſola jurisprudentia illorum immunis? An JCti ſoli lyncei, perfecti, ajentia negantia conciliare posſint? Nec probo Doctorum illas ἐναντιοφανῶν conciliandi rationes, qvando ajunt; illud narrativè, hoc dispoſitivè poſitum eſſe; alterum à Juſtiniano approbatum, alterum rejectum &c. Aut qvando leges per Si, Niſi &c. explicant, vel etiam manum admovent, textus emendant, corrigunt imò corrumpunt; licèt enim in ſcriptoribus humanioribus excuſationem ea licentia mereatur, qvod in iis minimo cum periculo peccetur, in jure tamen civili, qvo non hominum modò vita regitur, ſed imperia conſervantur, qvicqvam mutare, niſi ſumma cogente neceſſitate, & publica authoritate accedente, hominis eſt audaciâ ſuâ in communem hominum pernitiem abutentis. *Ant. Delrio in l. tranſigere. n. 29.* Ad 5. ℞. qvod non omnium ratio reddi, certaq; veritatis demonſtratio ſive principium dari neqveat, ex qvo deciſio fluat inſtar concluſionis ex præmisſis; nam multa tantùm propter certitudinem aliqvam lege civili determinata ſunt, & aliàs publicæ utilitatis gratia, (præſertim in adiaphoris, qvæ in temporis, perſonarum & rerum numeris aut ſolennitatibus conſiſtunt) aliqvid ſtatuere licet pro lubitu &c. Ad 6. ℞. per Canones ibi intelligi ſanctorum olim Patrum & Pontificum in 4. Conciliis factas deciſiones ſeu regulas, non verò jus Canon. qvod aliqvot ſeculis poſt jus civile fuit compilatum. Etſi autem plurimi de hoc jure glorientur, adeò ut ſi qvis ei obloqvatur, Spiritui S. eum obloqvi dicant; tamen certum eſt, plurimos in eo reperiri errores *Covar. 4. var. reſol. 12.* Unde fit, qvòd in ſcholis & foro noſtro ita jure Canon. utamur, ut è paleis (palea aliàs dicta eſt, qvaſi palæa h. e. antiqva conſtitutio) grana tantum colligamus. Exempli causâ lubet hîc nonnulla juris Can. effata abſurda examinare. Primum deſu-

deſumitur ex *c.6.d.major,& obed.* ubi Papa ſe ſuper regna & gentes conſtitutum eſſe ait. Sed audi Papa, qvid Rex Galliæ Philippus Pulcher, Bonifacio VIII. olim ad hoc reſpondit? Philippus Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio ſe gerenti pro ſummo Pontifice, ſalutem modicam, ſive nullam: ſciat tua magna fatuitas, in temporalibus nos nemini ſubeſſe (2.) in *d.c.6.* ait, Se eſſe Solem, Imperatorem verò lunam. Pulchra profectò comparatio; nam ſi Papa Sol eſt, & Luna Imperator, qvinq; reliqvi Planetæ Jeſuitis relinqventur. Mercurius ob lingvæ volubilitatem; Venus ob libidines; Mars ob ſeditionem; Jupiter ob dominandi cupiditatem; Saturnus ob inqviſitionem & bella. (3.) nominat Imperatorem filium ſuum *c. 8. diſt. 96.* Sed qvalis ipſe eſt pater? nempe qvi pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro ovo ſcorpium dat filio ſuo. (4.) ait, Cæſarem præſtitiſſe Romanæ ſedi juramentum fidelitatis *c.33. diſt.63.* ſed ℞. hoc juramentum non fuiſſe fidelitatis ſed protectionis; nam Otto M. imperium non tanqvam feudum à Papa Johanne XII. (vel potius XIII. ne injuria fiat Johanni VIII. qvi præter naturam maſculorum à ſervo compreſſus & ſobolem pariens, omnibus hoc ſuo miraculo oſtendit, eſſe Pontifici Romano aliqvid præter naturam humanam divinitus conceſſum) recognovit, ſed tanqvam Dominus promiſit ſaltem operas & defenſionem Papæ contra Berengarium, qvi tunc temporis Italiam infeſtabat (5.) damnat matrimonium ceu rem immundam & ſcandalis plenam *c.8.d.cleric. conjug.* tolerat verò concubinatum *c. 4. & ſeqq. diſt.34.* (6.) docet, aqvam luſtralem Diabolos fugare *c.20. de conſecr. diſt.3.* (7.) ad furtum explorandum, S. cœnam ſumi debere *can.23.c.2.q.5.* Ridiculum eſt, qvod de Podagræ curatione habet *c.30.d.conſecrat. diſt.5.* & de ſacerdote literarum imperito *c.86.d.conſecr. diſt.4.* & qvod conjuges debeant eſſe communes, eò qvòd amicorum omnia ſunt communia *can.2.c.12.q.1.*

LXXIII. Jus civile dividitur in ſcriptum & non ſcriptum. Illud eſt jus publica authoritate præſcriptum, & plerumq; appellatur lex, cujus definitionem in genere vide *apud Hornej.4. Ethic. c.13. & apud Meiſner. in tract. de lege.* Lex autem eſt vel generalis vel ſpecialis. Leges generales condit Imperator cum conſilio & conſenſu Statuum Imperii, & dicuntur Reichs Abſcheide. Leges ſpeciales condit qvisq; Princeps inferior cum conſenſu Ordinum Provinciæ, ſecundum qvas etiam Camera pronuntiare tenetur. Poteſt qvoq; civitas Municipalis, qvando juris-

 dictio-

dictione munita eſt, ſtatuta cõdere de his, qvæ ad illam jurisdictionem exercendam neceſſaria videntur *l.6.pr.qvod cuj.univerſ.* etiam ſine conſenſu ſuperioris, dummodò ejus juri legibusq; nõ contrarientur: neq; enim inferioris eſt, tollere legem ſuperioris *l.2.C.d.offic.præfect.Or.* niſi fortè ſuperior ſtatuta ſuo conſenſu confirmârit. Qvin & collegia licita poſſunt ſtatuta condere de rebus ad mercaturam vel artificium pertinentibus, qvatenus tamen illa vergunt in collegii, non aliorum præjudicium. Senatûs qvoq; muliebris aliqva facienda eſt mentio. Lampridius ſcribit, Heliogabalum in colle Qvirinali convocâſſe ſenatulum i.e. mulierum Senatum, ibidemq; SCta ridicula de legibus matronalibus eſſe lata, de veſtitu, qvo incedere, qvæ pilento, qvæ eqvo ſagináric, qvæ aſino, qvæ carpento mulari, qvæ boum ſellâ vehi &c. qvæ deniq; aurum vel gemmas in calceamentis habere deberent; ſiqvidem mulierum Roman. tantus erat faſtus, ut ſingulæ ferè eqvis vulgaribus & vilioribus faſtiditis, mulis uti contenderent, qvibus huc illucq; voluptatis cauſa veherentur, qvæ res faciebat, ut iſtorum animalium precium ubiq; augeretur; ſed utinam apud nos Germanos hujusmodi Senatum, aut certè SCta muliebria haberemus, qvæ de noſtratibus matronis ſtatuerent, qvæ cuiq; cedere, qvæ qvid geſtare, induere deberet, ut qvotidianis illis ſimultatibus, atq; interdum etiam digladiatiunculis muliebribus civitates noſtræ defungerentur.

LXXIV. Subſtantialia legum ſunt 1. voluntas ejus, qvi majeſtatem habet, ſive ſit populus, ſive optimates, ſive unus, nam penes qvem eſt dominium in Republ. penes eum collocari debent inſtrumenta dominandi, qvæ ſunt LL. & ſcita ſuperioris. 2. Recta ratio, ex qvâ lex tanqvam ex ſpiritu vivit & viget, & interpretationem accipit, nunc ad ſimiles caſus eam extendendo, *l.32.ad l.Aqvil.* nunc verba legis ex ratione anguſtiori, reſtringendo, cujus exemplum eſt *in l.11.de in jus voc. l.6. §.2.d.jur.patron.* 3. legis promulgatio *Nov.66.c.1.* Scriptura non eſt de eſſentia legis; antiqvitus enim LL. non fuerunt literis mandatæ, ut de Lacedæmoniis conſtat ex *§.10.d.J N.G.&C.* & de Germanis refert *Tacit.d German.* qvùm & aliàs excellentia ingenia absq; literarum ſubſidio bonum publicum cernere, juſtitiæq; vim aliqvo modo tenere poſſint *Heig p.1.q.7.n.15.* Scribitur tamen lex, non ut fiat, ſed diutiùs duret, faciliùs populo innoteſcat, ne qvis ignorantiæ cauſam allegare poſſit *l.7.d.LL.* Communis error eſt, communem errorem jus facere, qvam-

vis

vis occaſionem (qvam rectè Gothofredus appellat cauſam imperfectam ſeu impropriam *in l.15. ad l. Cornel. de ſicar.*) interdum juri conſtituendo præbeat: exempla *ſunt in l.3.d.offic.prætor.§.7.J.de teſtam.l.3.§.5. d.ſuppell.leg.*

LXXV. Propria legum ſunt, 1. ut ſint certæ *Nov. Leon.77.* ſi tamen fieri poteſt, verba obſcurè prolata ad communem intelligentiam reducenda *c.7.d.ſponſal.* non ſupervacuè ſed cum effectu accipienda *l.109. d.leg. 1.l.5.§.f.d.captiv.& poſtlim.* & abſurdum vitandum *l.7.d.bon.libert.* Nec ſtatim opus eſt, Imperatorem conſulere cùm de ſenſu legis dubitatur, ſed tunc demum, qvando jus cum æqvitate pugnat *l.1.C. de LL.* vel ſi ob perplexitatem verborum nullus congruus ſenſus elici poteſt. 2. Sint paucisſimæ, qvod benè obſervavit Juſtinianus, cùm duo penè millia librorum, & plus qvàm trecenties decem millia verſuum in moderatum digeri compendium, unamq; conſonantiam curavit *l.dedit.§.1.d.confirm.ff.* 3. Sint generales, dann das iſt recht/welches der Herr ſo wol thun muß/als der Knecht/ niſi evidens æqvitas vel ratio ſingularis poſcat, ut ſingulis perſonis vel cauſis ſubveniatur. 4 fiant de his, qvæ freqventer & facilè eveniunt non qvæ rarò *l 5.d.LL.* niſi caſus rarò qvidem, ſed tamen eodem modo in genere accidant *l.12.d. legit.hered.l.3.ſi pars hered.pet.l.7.§3.d.A.R D.*

LXXVI. Effectus legum eſt 1. qvòd omnes jura ſcire debent, exceptis his, qvibus jus ignorare permiſſum eſt, uti eſt (1.) mulier *l.9.d.J.& F.J.* nam naturalis ratio & ſexûs imbecillitas (pro qvâ minùs auſuræ creduntur *l.5 C. ad l. Jul. majeſt.*) ſimplicitatis conjecturam pro iis inducit, non tamen in rebus muliebribus, ut in amore, in qvo ut longè ſunt ferventiores, ita ad dolos excogitandum ingenioſæ & mendaces; unde Imperator qvaſi compertum habens eas toties dejerare, qvoties juramento qvid pollicentur, vetuit eas juramentum præſtare ad vitandam perjurii occaſionem *Nov.94.c.2.* (2.) Miles, qvia magis arma qvàm jura ſcire debet *l.22.C.d jur.delib.* Errant tamen, qvi credunt, militaribus ingeniis omnem deeſſe ſubtilitatem, qvaſi caſtrenſis jurisdictio ſit obtuſior, & fori calliditatem neſciat. (3.) Ruſticus *l.2.§.7.d.jur. fiſc.* vivit enim ruri à politicis & politioribus negotiis ſemotus: unde dicitur innocens & qvieta ruſticitas *l.3.C.d. defenſ.civit.* ſumma ſimplicitas *Nov.73.c.9.* (4.) Minor &c. 2. Qvòd lex omnes ligat vel ad obedientiam vel ad pœnam, excepta imperatoris fortuna, cui Deus &

ipſas LL. ſubjecit, *Nov. 105. c. 2. §. 4.* unde de jure ſupra jus diſponere *c. 4. d. conceſs. præbend.* & in propria causâ judex eſſe poteſt *l. 41. d. hered. inſtit.* Porrò notanda hîc ſunt ſeqventia πορίσματα (1.) Qvod fit lege prohibēte, dicitur ipſo jure nullum *l. 5. C. d. LL.* At dices? multa legibus prohibentur, qvæ tamen ſi facta ſunt, tolerantur *l. 1. §. 3. qvand. appell.* (2.) Qvod fit lege permittente, pœnam non meretur *l. 4. C. ad l. Jul. d. adult.* At dices? nuptiæ ſecundæ ſunt permiſſæ, & tamen pœnæ in eas conſtitutæ *Nov. 2. c. 1. Nov. 23. c. 36.* (3.) Qvod lege non eſt ſpecialiter deciſum, id judici relinqvitur æſtimandum *l. 1. d. jur. delib.* modò arbitrium ejus legibus ſit conforme: nec enim ex proprio cerebro, propriisq; ſpeculationibus, ſed ex jure certâ ratione æqvitatem deducere oportet *Oldendorp. d. jur. & æqvit. tit. 3.* In caſibus tamen juris ambiguî judex, cui velit, gratificari ſeu pro Amico judicare non prohibetur *arg. l. 85. d. R. J.* nam rationum æqvilibrium tollit amicitia, cujus præponderabit favor; verùm id ultra expreſſas deciſiones ſine urgenti cauſa extendendum non eſt, *Exempla ſunt in l. fin. d. religioſ. l. 3. §. 4. ad SC. Silan. l. 8. §. 3. d. leg. 2.* (4.) Omisſio formæ vel ſolennitatis à lege reqviſitæ, reddit actum ipſo jure nullum *l. 8. §. 17. d. transact.* adeò ut neq; per æqvipollens adimpleri, nec eidem aliqvid addi vel detrahi posſit *arg. l. 6. qvi ſatisd. cog.* Pro forma autem aliqvid adjectum intelligitur, ubi certus agendi modus præſcriptus; vel præceptionis verbum Debere adjectum eſt; vel tempus præfigitur, intra qvod præcisè peragendum eſt *l. 13. §. 4 d. excuſat. tut.* (5.) Sententia Principis jus facit in omnibus ſimilibus ſpeciebus *l. fin. C. d. LL.* Supremarum curiarum præjudiciis inniti, periculoſum eſt *l. 13. C. d. ſentent* cùm raro oſtendi posſit caſuum exqviſita paritas, & ſæpè vel minima facti circumſtantia, imò vel unius literulæ forma, grande dubium excitare qveat; id qvod ſub fidei publicæ tabulis magnò cum malo in vinclis expertum legimus Philippum Hasſiæ Landgravium *Thuan lib. 4. hiſt.* A communi Doctorum opinione in caſibus dubiis non facilè recedendum eſt, *Gothofr. ad Nov. 18. c. 5.* nam & olim communis opinationis haud leve momentum fuit *l. un. d offic. qvæſt. l. 4 d. his qvi not. inf. l. 12. §. 26. d. inſtruct. leg.* cui obverſari, eſt contra ſtimulum velle calcitrare: ſi tamen communis opinio textibus & rationibus juris deſtituatur, ei non adſtipulandum eſt *l. Deo. § 6. d. concept. ff.* Nec enim debemus eſſe qvaſi mancipia alienæ libidinis, & ab aliorum opinionibus tantùm dependere, ſed & noſtro judi-

judicio eſt locus relictus, qvod dicta cum dictis conferat, & ubiq; rationes inqvirat; nam purpura ad purpuram collata magis eluceſcit. Autoritas novorum JCtorum in reſponſis non ſemper ſeqvenda, qvippe qvorum non pauca ad gratiam conſulentium, non ad æqvi boniq; naturam compoſita ſunt; ſi qvis tamen pro ſe duorum aut trium Dd. conſilia habeat, videtur juſtam contradictionis cauſam fovere ad effugiendas litis condemnatoriæ expenſas.

LXXVII. Contraria legum ſunt correctio & abrogatio; illa qvantitatem & qvalitatem legis; hæc ſubſtantiam ejus ſpectat, & fit duobus modis (1.) aliâ lege lata: ſi qvid tamen novo jure ſpecialiter non eſt ſublatum, durat *l.32. §.6. C.d. appellat.* e. g. ſi prior lex ſit ſpecialis, poſterior generalis, hanc per illam potius ampliari, qvàm tolli dicemus. (2.) Contrario uſu *§ 11. J.d.J.N.G & C.* ſolâ autem deſuetudine ſeu non uſu lex non tollitur, etſi caſus longisſimo tempore non eveniſſet *Gail. 2. obſ. 60. n. 3.* & ideò à prudentibus rerum moderatoribus jura antiqva ſubinde ſolent repeti, & velut ab Orco reproduci, ut de ipſis etiam legibus 12. tab. (qvas Ciceronis tempore tanqvam neceſſarium carmen pueri ediſcebant *Cic. 2 d. LL. n. 59.*) factum eſt, *Cujac. in paratit. l. C. ad l. Aqvil.* Nam & legibus ſuum eſt ſenium, qvod ipſis abſtergi debet, ut renovatæ qvaſi rejuveneſcant *Gell. lib. 20. N. A. c. 1.* & ut *Macrob.* ait, qværitur ſæpè novæ legis authoritas exoleſcente metu legis antiqvioris. Privatorum conſenſu lex non mutatur *l. 38. d. pact.* niſi talis ſit, cui per pactũ renuntiari posſit.

LXXIIX. Legẽ ſuperat 1. necesſitas, cujus truculentisſima imperia nullam contradictionẽ admittunt, multaq; non intellectu tantùm, ſed & auditu gravia pati nos coegerunt. 2. Ratio ſtatus, propter qvam haud rarò à communis juris regulis receditur, ita ut aliqvid liceat, qvod non ſit honeſtum *l. 144. d. R. J.* ut pro juſto habeatur, qvod habet aliqvid iniqvitatis *l. 200. d. R. J.* ut ſalutare videatur, qvod ſaltem majori parti prodeſt *Nov. 39. c. 1.* Nam iniqvum, qvod contra ſingulos eſt & paucos, utilitate publica compenſatur *Tacit. 13. annal.* Sed dolendum eſt, hodie nomen Status ſæpè ſervire prætextui magis, qvàm uſui; unde à nonnullis dicitur ſtulta ſtatus ratio; vox periculoſa & omnium ſcelerum tegumentum &c. 3. Ratio belli; nec enim idem armorum & legum eſt tempus *l. 1. C. d. caduc. toll.* tùm, qvæ leges in pace ſunt latæ, bellum abroget, qvæ in bello, pax

Liv.30. Legem privat privilegium, qvia contra juris communis (non tamen omnis rationis) tenorem inducitur *l. 16. d. LL.* attamen jus commune non tollit, ſed ſuſpendit; non evertit, ſed mollit, & qvod ei deeſt, addit & ſupplet. Sic pactis conventis ſtare, juſtum eſt; at ratio ſuadet, ut mulieri pro alio intercedenti ſuccurratur; Unde SCtum Vellejanum eam obligationi eximit, niſi dolo vel propriam fortè cauſam egerit, ut ſi dives puella pro juvene obærato ita apud mercatorem fidejuſſerit: ſi me duxerit *arg. c. 30. d. condit. appoſit.*

LXXIX. Hactenus de jure ſcripto. Jus non ſcriptum eſt, qvod tacito populi conſenſu eſt receptum i. e. nullâ præmiſsâ deliberatione: ſi enim expreſsè qvid ſtatuatur, dicitur lex; ſi tacitè, erit conſuetudo, qvæ licèt ſcribatur, conſuetudinis tamen naturam non amittit; niſi à Principe ita literis commendetur, ut eam pro jure ſcripto ſervari velit *can. 5. §. fin. diſt. 1.* atq; ſic multæ conſuetudines priſci temporis, à Principibus confirmatæ, juris ſcripti nomen induerunt, ut jus patriæ poteſtatis *l. 8. d. his qvi ſunt ſui vel alien. jur.* pupillaris ſubſtitutio *l. 2. d. vulgar. ſubſt.* Cõſuetudinem inducere poteſt non tantùm populus liber, ſed & ſubjectus, dummodò Princeps patiatur nec contradicat; aliàs enim ea, qvæ ſecundum conſuetudinem legi contrariam judicata ſunt, poſſunt retractari per qverelam nullitatis, ſi legislator ſpretâ conſuetudine, legem in uſum revocat *l. 1. §. 2. qvæ ſent. ſin. appell.* vix tamen eſt, ut conſuetudinis autor vel initium certum citari posſit; nam ſenſim irrepit, & tacitè imprudentibus qvaſi ſe inſinuat, unde ſanctior, gratiorq; lege habetur; utpote qvæ coacta, & utplurimum invitis & renitentibus ab eo, qvi plus poteſt, datur; conſuetudo verò eſt ultronea, qvæ per ſe ſuâ vi influit in mores hominum, ſic ut vel à naturâ, vel ab antiqvis bono publico inſtituta eſſe putetur, hincq; veteres JCtos videmus non aliam ſæpè allegare decidendi rationem, qvàm qvia hoc jure utimur *l. 38. d. vulgar. ſubſt.* Reqviſita conſuetudinis ſunt (1.) Rationabilitas; unde qvod errore introductum eſt, conſuetudo appellari neqvit, cùm ſit potius qvædam uſurpatio contra jus *l 13. §. fin. d. injur. confer Nov. 134. c. 1. & Nov. 154. c. 1.* Hinc culpandus improbus ille mos, qvo bonis cedere volens nudatus publico Saxo inſidere, & poſteriora percutere cogitur, dicens; bonis cedo: infeſtat enim oculos videntium, & cedenti triplicem affert tribulationem; at credito-

dito-

ditori nil id proficit, niſi ad immiſericors delectamentum & exſatiandam vindictæ cupiditatem (2.) actuum freqventia, modò non ſint difformes; judiciales autem ſint, an extrajudiciales, nihil intereſt. (3) lapſus longi temporis, cujus definitionem arbitrio judicis relinqvimus. Atq; ex his tribus apparet, Albericum rectè dixiſſe, conſuetudinem homini ſimilem eſſe: nam concipitur ratione, naſcitur actu unico, adoleſcit plurium ſimilium imitatione, conſummatur temporis diuturnitate.

LXXX. Demum cognata & oppoſita Jurisprudentiæ diſpicienda. Cognata ſunt 1. Jurisperitia, qvæ eſt ſimplex qvædam peritia, qvalem habent rabulæ forenſes. (2.) Nomotheſia, qvam ἀρχιτεκτονικὴν vocat Ariſtot. *ſed vid. ſupr. th. 8.* Oppoſita Jurisprudentiæ ſunt 1. Jus ſummum, qvod æqvitati adverſum eſt, ac in omni negotio, idem ſine temperamento exigit. e. g. cùm adoleſcens ſanabili ingenio furtum ex inopiâ committens, ſtrangulandus judicatur. Item, ut is qvi metu promiſit, obligetur, ne prædo factas impenſas recuperet *l. 38. d. petit. hered.* & hinc æqvitas multa in jure civili corrigit, niſi apertè conſtet, legislatorem ſtrictè illam legem obſervare voluiſſe, qvia lex ſcripta, qvamvis dura, nihilominùs ſervanda eſt *l. 12. qvi & à qvib. man.* 2. Calumnia, ſi qvis detortis & ſophiſticè captatis verbis, legum ſententiam ſubvertere annititur, calumniarum exempla habet Oldendorp. *d. jur. & æqvit. tit. 4.* qvem benevolus Lector videat. Ego filum hìc abrumpo, & qvæ ut candidè, nullius in præjudicium à me Academicè congeſta ſunt; ita dextrè ea accipere, liberalis animi eſſe puto *arg. can. 13. c. 6. q. 1.* Si qvid tamen hìc ſecus, qvàm oportuit, dictum eſt, veniam poſtulo, & meliora docentes libenter ſeqvar. Variâſſe Papinianum & mutâſſe aliqvando ſententiam, ſcribit *Juſtinianus in l. fin. §. 3. C. d. furt.* & ipſe Juſtinianus de ſe fatetur: non piget nos, noſtras emendare leges (qvamvis Imperator errare vix posſit, cùm habeat omnia jura in ſcrinio pectoris ſui, *l. 19. C. d. teſtam.*) ubiq; utilitatem ſubjectorum invenire volentes *Nov. 127. pr.* Multò ergò magis in aliis id laudandum. Nam magnam præ ſe fert emendationis ſpem erroris proprii verecunda profesſio.

Juris

JUris *Principiis* innixus *Præcipuisqve*,
Finem, qvo tendis, rectius aſſeqveris.
Hic labor exhaurit totius dogmata Juris,
Intimaq; efficit *Te* penetrâſſe *Dicæ*.
Sic *Te Principibus* faciat placuiſſe, locoq;
Sic *Te præcipuo* collocet alma Themis!

Ita ex animo gratul. Præſtantiſſ. Dn. Reſpond. & Commenſali ſuaviſſ.

Præſes.

Q*Vid ſcribam? laudes ne tuas,* Bachmanne polite,
commemorem? Varnus, Bregela, Suevus, agunt.
Virtutes patrias, propriasq; fidemq; coronant:
Prædicat artificem Nunc qvoq; te novum opus.
Publica jura vocas in publica pulpita, doctè
Diſcutiens eadem, publico erit decori.

Politiſſimo & Eximio Dn. Reſpondenti autori Diſputationis de juris principiis amicitiæ ergo raptim ſcripſit popularis

M. Johannes Colberg von Colberg.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

F I N I S.